DE LVCIIS CINCIIS

SCRIPSIT, CINCIORVM FRAGMENTA EDIDIT

MARTINVS HERTZ PH. DR.

ADIECTA EST DE M. IVNIO GRACCHANO DISPVTATIO.

BEROLINI MDCCCXLII
IN AEDIBVS E. H. SCHROEDERI.
TYPIS ACADEMICIS.

Hertz, Martin Julius

DE LVCIIS CINCIIS

SCRIPSIT, CINCIORVM FRAGMENTA EDIDIT

MARTINVS HERTZ Ph. Dr.

ADIECTA EST DE M. IVNIO GRACCHANO DISPVTATIO.

BEROLINI MDCCCXLII
IN AEDIBVS E. H. SCHROEDERI.
TYPIS ACADEMICIS.

CAROLO LACHMANNO

SACRVM.

Monumentum illud aere perennius a summo Niebuhrio, cuius nullum unquam aeuum delebit memoriam, exactum eo intentiore cum studio, eo maiore cum pietate nobis tuendum est, quo crebrius quoque animosius factio quaedam stili nitore atque elegantia auctoritatis aliquam in litteris speciem nacta non solum eius in rem publicam merita, de quibus iudicium certis fundamentis nisum mihi nondum ferri posse uidetur, donec totam istorum annorum historiam post aliquod tempus dilucidius perspicere ualebimus, eiusque in muneribus publicis gerendis prudentiam eleuare, sed etiam insigne istud, quo ueterem superstitionem ualida profligauit manu, Romanae historiae opus sub specie laudis suspectum reddere conata est. at id quod iuueni alicui philologiae studioso in aurea illa epistola, quae non amplis eget commentariis ut ad summa quaeque nos excitet, dedit consilium, probitatem in litteris seuerissime colendi, id ipse ita secutus est Niebuhrius, ut ne minimam quidem laudem cuiquam detraheret neue ullam inanis gloriolae captandae causa scriberet litteram, sed ut quaecunque prolaturus esset ab omnibus partibus accuratissime perpenderet ac tum demum in publicum ederet, cum uel uerum inuenisse uel locis obscuris probabili aliqua coniectura lucem attulisse sibi uisus esset. quod si summa cum laetitia talem uirum nostrum quondam fuisse profitemur neque quemquam his in litteris profecturum esse nisi qui Nie-

buhrium et penitus cognouerit et ex intimo pectore colat contendimus, haud ita admiratione obcaecati sumus, ut non intelligamus, post illum quoque et materiam amplissimam in campo tam late patente, quem ne totum quidem perlustrare nobisque recludere inuida ei mors concessit, futuris remansisse studiis, et extare nonnulla quae nunc cum eius ipsius humeris nitamur accuratius iam definire nobis liceat. atque id ipsum uerae piaeque uenerationis summum mihi uidetur signum, si quae minus censeamus uel exhausta uel absoluta retractemus, ut pro uiribus nostris quantuliscunque ipsius ueritatis Niebuhrio prae omnibus carae indagationem adiuuemus. quamobrem κακώσεως γονέων reprehensioni haud obnoxium me fore confido, si quaestionem aliquam, ubi a Niebuhriana sententia recedendum esse mihi uidetur, haud exigui sane momenti ad fontes historiae Romanae diiudicandos, dê iis scilicet libris, qui L. Cincii nomen prae se tulisse feruntur, denuo instituendam mihi proposuerim, leuitatis specie eo iam remota, quod uiri doctrina ac sagacitate insignes, Zumptium nostrum prae ceteris nomino et Maduigium, Daniae decus, summam eius sententiae amplexi sunt, ad quam latius exponendam iam nunc aggredior.

---

§. 1.
DE L. CINCII ALIMENTI VITA.

M. Claudio Marcello IV. M. Valerio Laeuino II. absentibus consulibus in annum p. u. c. 544 (a. C. 210) dictis P. Manlium Vulsonem et L. Manlium Acidinum et C. Laetorium et L. Cincium Alimentum [1] praetores esse creatos auctor

---

[1] Cum neque in consularibus neque in triumphalibus fastis ullius Cincii fiat mentio neque quisquam eorum praeter nostrum ac M. Cincium Alimentum, tr. pl. a. u. 550, legis Cinciae de donis ac muneribus latorem, quem cum Lucio confundit Rein (ius Rom. priu. p. 75.), ad rempublicam gerendam accessisse uideatur, minus nobilem hanc gentem plebeiam fuisse censeo, quam antiquam et numerosam. hoc uero Festus p. 262. Müll. prodere uidetur. 'Romanam portam uulgus appellat ubi ex epistylio defluit aqua. qui locus ab antiquis appellari solitus est statuae Cinciae, quod in eo fuit sepulcrum eius familiae' coll. Paul. Diac. p. 57. M: 'Cincia locus Romae, ubi Cinciorum monimentum fuit.' eodem in loco antiquas Cinciorum aedes fuisse inde coniicias, quod antiquissimis temporibus in sua quisque domo sepultus esse traditur a Seruio et Isidoro (cf. Creuzer Abriss p. 455. ed. alt. Klausen Aeneas und die Penaten p. 1016. Hertzberg de Diis Rom. patriis Hal. 1840. p. 10 sq.). honoris enim causa haec sepulcra iis assignata esse cum eo qui post Sachsium (Geschichte und Beschreibung der alten Stadt Rom t. I. p. 59 sq.) de loco eorum scite disputat Amboschio (Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus I. p. 120 sq. coll. p. 97 sq. 125 sq.) statuamus necesse non est, cum uel post legem duodecim tabularum 'hominem in urbe ne sepelito neue urito' (Cic. de legg. II. 23. §. 58. Dirksen Übersicht etc. p. 659-661.) hunc morem non omnino euanuisse Seruius nos doceat ad Aen. XI. 206. tradens, senatum lege cauisse ne quis in urbe sepeliretur cos. Duilio, [quem pro C. potius Duilio cos. a. 494.

nobis est Liuius lib. XXVI. c. 23. Cincii per quaesturam, tribunatum, aedilitatem pl. honorum decursum Pighius (Ann. t. II. p. 142. 171. 178. ad a. 534. 539. 541.) ut assolet ex lege fere Villia composuit, Frid. Lachmanni, (²) Krausii, (³) Liebaldtii (⁴) nactus assensum, (ne loquar de Frid. Brummero, qui l. l. p. 2 sq. Pighianas magistratuum tabulas pro fastis Ca-

---

cum Fischero (Röm. Zeittafeln p. 71.) quam pro K. Duilio cos. a. 418. habeo,] ut taceam de posteriore aetate, ubi imperatores hanc legem instaurarunt, qua de re praeter Creuzerum l. l. p. 456 sq. cf. iamnunc Dirksenium u. ill. in elegantissimi, qui hoc ipso anno prodiit, de scriptoribus historiae Augustae libelli partis II. cap. 2. §. 6. 7.; mirum sane esset cum Poplicola, Tuberto, Fabricio, hominibus optime de republica meritis, hunc honorem genti obscuriori nobisque fere ignotae esse tributum. — reliquorum, qui commemorantur Cinciorum nomina ex libris et inscriptionibus collegit Brummerus in Commentario ad legem Cinciam (Lut. Par. 1668. 4. p. 7–9.), quibus unum alterumue, ueluti Cincium comoedum in fragmento de comoedia et tragoedia laudatum adiicere operae pretium non duco, id tantum monens, legi 3. Dig. V. 4. 'tergeminos Horatios cinctos' relinquendos esse, quibus 'tergeminos Cincios' substituturus erat Cuiacius in l. VI. resp. Papin. (opp. T. IV. p. 1076. ed. Neap. 1758. fol.). — nomen saepe corruptum legi in libris manuscriptis infra uidebimus: cognomen Mimantus scriptum inueniri tradit Vossius de Historicis Latinis I. IV. p. 16. ed. alt. (Lugd. Bat. 1651. 4.), Alimentius, Alimetius, Alimecius libri Liuiani, Alimetus Fulgentiani praebent: ansam ei dederit Alumenti nomen, quod Laumedonti a ueteribus Romanis necdum Graecae linguae assuetis tributum esse narrat Paulus Diac. p. 18. M. Cinciorum nomen a cingo deriuari a Perotto in Cornu copiae Epigr. II. p. 222. ed. Ald. tradit Liebaldtius (Historicorum Romanorum reliquiae denuo collectae et illustratae. cuius operis specimen ... publice defendet H. L. Hal. 1833. 8. p. 5.). P. praenomen unde sumpserit Passow Grundzüge der griech. u. röm. Litt. u. Kunstgesch. p. 122. ed. alt. 1829. equidem ignoro.

(²) de fontt. Liuii II. p. 16.

(³) uitae et fragmm. uett. historicorum Rom. p. 64.

(⁴) l. l. p. 5. 8.

pitolinis habens miras profert nugas): quae etsi uera esse possunt, cum lex Villia non magnopere a uetere consuetudine et priscis legibus (extitisse enim quodammodo uidentur cf. Liu. XXV. 2. laudatum ab Ernestio in indice legum t.VIII. p. 133. Ciceronis Orelliani) recesserit, certo tamen carent fundamento aeque ac Lucii praenomen, quo Cincii patrem exornat Pighius. quam ob rem id certe Liebaldtio (l.l. p.8.) M. illum Cincium nostri fratrem esse coniicienti non obstat, quod alterum Lucii, alterum Marci filium nominauit Pighius.

A praetura igitur, sicuti fecimus, narrandi initium erat faciendum: de qua cum unicus testis nobis sit Liuius, eum plerumque presse sum secuturus. cum igitur ambo consules Romam reuersi de republica ac de prouinciis ad senatum rettulissent, decreuere patres, ut alteri eorum Italia bellumque cum Hannibale esset prouincia, alter classem, cui T. Otacilius propraetor in Sicilia mortuus praefuisset, Siciliamque cum L. Cincio obtineret, cui Cannenses milites duarum instar legionum ad prouinciam tuendam dati sunt. (l. l. c.28.) Agrigenti deinde multarumque aliarum urbium uel deditioni uel expugnationi uidetur affuisse (c. 40.) cum Laeuino, cui ea prouincia obtigerat (cf. c. 29.), donec ille autumno iam instante ad comitia consularia habenda Romam litteris accitus insulam a se pacatam atque exercitum praetori mandauit (XXVII. 5.). quam prouinciam haud diu obtinuit Cincius, cum Laeuinus, ne dictator quem ex senatus decreto plebs iussisset inuito sibi esset dicendus, clam nocte in Siciliam rediret, ubi et ei et Cincio in annum insequentem prorogatum est imperium cum exercitu Cannensi, quem ex militibus, qui ex Cn. Fuluii superessent legionibus, iussi sunt supplere: Laeuini enim legiones Q. Fuluio Cos. erant decretae, quamobrem

Q. Maximus Q. Fabii consulis filius a patre missus amplius tria milia militum ex Fuluiani exercitus reliquiis iis adduxit, referens inde duas illas legiones et triginta quinqueremes, quas Tarentum ad patrem duceret, dum cetera classe praedatum in Africam traiicere aut ipse Laeuinus iubetur aut mittere eo uel L. Cincium uel L. Valerium Messallam. Laeuini tamen copiae per Numidas quoque transfugas Siculorumque aliquem delectum auctae inde non minutae sunt, ut duorum exercituum speciem posset seruare, quorum altero cum dimidia classe L. Cincium eam partem insulae, qua Hieronis fuerat regnum, tueri iussit, altero ipse ceteram tuebatur insulam (XXVII. c. 7 sq.). in annum deinde insequentem S. Iulio Caesari praetori cum milite Cannensi prouincia data est Sicilia, Laeuino imperium prorogatum et classis septuaginta nauium relicta, ut cum ea triginta nauibus Tarento arcessitis aucta tunc demum si ipsi uideretur, praedatum in Africam traiiceret (XXVII. 22.): Cincius uero (c. 26.) consulum litteris ad Magonem Locris oppugnandum ex Sicilia cum classe excitus est, cuius imperium ei relictum esse uidetur, quam ad rem summa ui, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia aduecto, accessit. Mago, cum Hannibalem consulibus deuictis, Marcello occiso, auxilio uenire ipsi nuntiatum esset, ferox in hostes erupit. primo anceps erat certamen. deinde ut Numidarum equitatus ab Hannibale praemissis superuenit, tantus pauor Romanis est iniectus ut passim ad mare et naues fugerent, relictis operibus machinisque, quibus muros quatiebant (c. 28.). Locrorum obsidione sic soluta Romam rediit Cincius, unde tamen paucis diebus post cum Sex. Iulio Caesare (cf. Klausen l. l. p. 1062 sq.) et L. Licinio Pollione

Capuam ad Crispinum consulem missus est, qui graui uulnere oppressus litteras Romam scripserat 'se comitiorum causa non posse Romam uenire .... legatos opus esse ad se mitti, uiros prudentes, cum quibus quae uellet de republica loqueretur.' legati hi nuntiare iussi consuli 'ut si ad comitia ipse Romam uenire non posset dictatorem in agro Romano diceret comitiorum causa. si consul Tarentum profectus esset Q. Claudium praetorem placere in eam regionem inde abducere legiones, in qua plurimas sociorum urbes tueri posset' (c. 29.). dictatorem dictum esse a Quinctio T. Manlium Torquatum capite deinde tricesimo tertio nobis tradit Liuius, de legatis uero ipsis nihil memoriae habemus consignatum neque in libris sequentibus ulla Cincii iniicitur mentio. at libro XXI. c. 38. haec legimus: 'quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores constat. qui plurimum, centum milia peditum, uiginti equitum fuisse scribunt, qui minimum uiginti milia peditum, sex equitum. L. Cincius Alimentus qui captum se ab Hannibale scribit maxime auctor [me] moueret, nisi confunderet numerum Gallis Liguribusque additis. cum his octoginta milia peditum, decem equitum adducta in Italiam, (magis adfluxisse uerisimile est et ita quidem auctores sunt,) ex ipso autem audisse Hannibale postquam Rhodanum transierit triginta sex milia hominum ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse in Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum.' eum enim nostrum Cincium esse uix est cur dubitauerit Pighius, (5) qui t. II. p. 142. ad a. u. 534, ubi quaestorem L.

(5) Eandem dubitationem miror proferre Clintonem fasti Hell.

Cincium Alimentum ponit, hunc filium sibi potius historici quam ipsum historicum uideri monet. is enim ab Hannibale captus ei uidetur initio belli, cuius postea historiam accuratius prodiderit. haec uero captiuitas cum praetura nouem annis post gesta nullo modo conciliari posse ei uidetur, quod senatus Romanus et censores, ut ipsius utar uerbis, eo tempore omnes, qui arma hostibus tradidissent, in Siciliam quam diu Poeni in Italia essent relegatos uariis ignominiis et graui insuper malitia proculcabant. at Vossius (l. l. p. 17 sq.) assensum nactus Longolii ([6]) et Liebaldtius (l. l. p. 6-8. cf. Lachmannum l. l. II. p. 16.) hanc dubitationem uanam esse ostenderunt. historicum ipsum rebus a se narratis affuisse narrat Dionysius Halic. A. R. I. c. 6. commode a Vossio allatus. quomodo uero pater illius uiri senex certe illo tempore depontanus bello potuit adesse? quomodo Fabio, qui harum rerum auctor uocatur antiquissimus, dici subaequalis? (cf. p. 10 sq.) num porro credibile est de uiro, quem senatorem fuisse dicit Dionys. Hal. I. 74., ut eum ex gente plebeia oriundum ad rempublicam accessisse necesse sit, neque id sine laude, si ex insigni cum Hannibale familiaritate, qua captus gaudebat, colligere aliquid licet, nihil omnino memoriae proditum esse nisi historiam eum scripsisse? quid denique mouere nos debet ut initio belli captum dicamus Cincium nulla temporis notione a Liuio tradita? nihil igitur obstat, quominus cum

---

t. III. p. 41. 43. ad a. 218. quod Dionys. Ant. R. I. p. 187. tantum senatorem eum fuisse memoriae mandet, quam causam eo iam irritam esse censuerim, quod Cincius homo plebeius ne senator quidem fieri poterat, nisi quaestura minimum functus, iam igitur ad rempublicam accessisse Dionysianum quoque Cincium oportet. cf. de Cincio Clintonem ibidem ad annos 225 et 190.

([6]) Notitia Hermundurorum etc. opera et studio I. H. M. Ernesti Norimb. 1793. (2 uoll. 8.) t. II. p. 4.

Vossio, Lachmanno, Liebaldtio, Blumio (7) unum eundemque statuas Cincium praetorem et historicum eumque post illam legationem anno u. 546 susceptam dicas captum; si enim eundem quidem utrumque hominem Pighianum censes, initio uero belli captum, id quod post Meierottonem diss. Liuian. II. p. 7. fecit Niebuhrius (t. I. p. 287. ed. quartae) his uerbis: 'Er war Senator, und im hannibalischen Kriege Prätor, obgleich er am Anfang desselben das Unglück gehabt hatte, Gefangener der Pöner zu werden' — in nodum illo contortiorem implicaberis; nam, id quod acute monet Liebaldtius l. l. p. 7., 'si reuera Cincius bello Punico secundo ineunte in Hannibalis potestatem uenisset, cum Romani captiuos aut redimere nollent (Liu. XXII. 57 et 61. XXXIV. 50. App. de bell. Hannib. 27 et 28. Macrob. Sat. I. 11.) aut certe sicut eos qui fugerant ignominia notarent (Liu. XXIII. 31. XXV. 5 et 7. XXVII. 7 et 11. XXIX. 24.) nonne propius ad uerum accederet Pighii quam Niebuhrii sententia, quippe quorum hic Cincium redemptum ad praeturam peruenisse censeret, ille ab eo postea ullum magistratum obitum esse prorsus negaret?' cui id quoque adiicio Hannibalem hominem callidissimum primo belli tempore ne captiuo quidem tam accurate numerum militum, quem cum maxime et amisisset et reliquum haberet expositurum fuisse. per captiuitatis igitur tempus ab ipso Hannibale multa uidetur comperisse, quae ad bellum hoc facerent et uel ibi, fortasse ut ἀντίδωρον Hannibali offeret, quo de Romanorum et antiquitate et de nouissimi belli quibus interfuerat rebus gestis certiorem eum faceret, uel post redemptus per uitae priuatae otium opus suum historicum composuisse.

---

(7) Einleitung in Roms alte Geschichte v. Dr. K. L. Blum (Berlin u. Stettin 1828. 8.) p. 66.

§. 2.
DE L. CINCII ALIMENTI OPERE HISTORICO.

Dionysius Halicarnassensis ubi de operis suscepti consilio agit, Graecis Romanam historiam inde ignotam fere mansisse questus, quod historicum ἀξιόλογον nacta non sit, cum apud Graecos compendia tantum res summatim ac breuissime perstringentia prodierint Hieronymi Cardiani, Timaei Siceliotae (τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱςοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱςορίαις ἀφηγησαμένου, τοὺς δὲ πρὸς Πύρρον τὸν Ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν), Antigoni (8), Polybii, Sileni, aliorum, qui pauca neque ea diligenter atque accurate composita sed ex uulgi rumoribus consarcinata publici iuris fecerint (l. l. I. c. 5 et 6.) ὁμοίας δὲ τούτοις, ait, καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱςορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόϊντος Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους. τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε (9). historiam Fabii, ne Liuii uerba premam I. 44. scri-

---

(8) A. Carystio diuersum putat Müllerus in ed. Festi p. 267. cf. quoque Klausenium l. l. p. 571.

(9) Secutus sum in his Dionysii uerbis describendis editionem Ritschelii uiri illustrissimi in progr. acad. Vratisl. m. Aug. 1838. p. 11., ubi hanc lectionis annotat uarietatem: 'οὐδὲν διαφόρους A. [cod. Chis.] Edd. κατ' οὐδὲν B. [Hudsoni Vaticanus] Fcms [Ven. Ambros. chart. et

ptorum antiquissimum eum uocantis, Cinciana prius editam esse, si accuratius scripsit Dionysius, inde apparet, quod et ubiuis Cincium Fabio postponit et Cincium, Catonem, Pisonem, alios in historia de infantibus Romulo et Remo enarranda Fabii uestigia secutos dicit (I. 74.) ([10]). utrumque bello demum perfecto opus edidisse crediderim, cum tum demum ad certum aliquem eumque laetum finem narrationem possent adducere. Cincium sermone Graeco usum esse omnes fere qui de eo egerunt Dionysium sequentes ([11]) sta-

---

membr. et Ven. Sylb.] μηδὲν διαφόρους sine praepositione dixit I. 69.— καὶ Λεύκιος B. Fcm. L. [Lapus] Λεύκιος A. Edd. — Κίγκιος Edd. Κίκκιος A. B. Fcms. etsi nunquam Κιγκιννάτος, sed Κικιννάτος dixit constanter X. 5. 17. 23. alibi (nam quod XI. 15. uulgatur Κινκινατος in scriptis est Κικινάτος), tamen Κίγκιος sine discrepantia legitur I. 79. II. 38. 39. idemque I. 74. A. praebet ubi B. Fcm. Καικίος.— Φοινικικοὺς B. Fcms. Φοινικοὺς A. Edd. eadem fluctuatio I. 8. 1. nullo dissensu Φοινικοὺς scriptum I. 4. 1, codicum nullo Φοινικικὸν II. 66. praetuli igitur quod rationi est consentaneum, tametsi alterum Sylburgius defendit ut ad similitudinem Latinae uocis factum.'

([10]) Quod etsi uerum esse negem cum Wachsmuthio (die ältere Geschichte des röm. Staats p. 27 sq.), quem tamen in eo errare quod locos Dionysii ad Catonem spectantes ad Cincium referat recte notant Whitte de Q. Fabio Pictore ceterisque Fabiis historicis (Hauniae 1832.) p. 8. et Liebaldtius (l. l. p. 11.), sed potius ex communi traditionis fonte hos omnes hausisse putem (cf. quoque Blumium l. l. p. 68.) notio certe temporis manet; Wachsmuthium uero Dionysiana uerba non ita premere debuisse, ut inde ex eius sententia in uniuersum hos scriptores Fabium secutos esse efficeret bene monet idem Whitte p. 2., cuius commentationem Droysenii et Osenbrüggenii, uirorum humanissimorum, beneficio debeo.

([11]) Vossius de Hist. Lat. p. 18. de Hist. Gr. I. 18. p. 163. Westermann. Longol. l. l. p. 46. Heyne exc. IV. ad Aen. l. VII. t. III. p. 150. ed. Wagner. Niebuhr h. R. t. II. p. 9. Schoell Hist. abregée de la litt. Rom. I. p. 160. et sq. Lachmann l. l. I. p. 30. II. p. 17. Blumius l. l. p. 82. Zumptius, u. ill., in censura libri Blumiani ann. crit. Berol. 1829. I.

tuunt, quocum id optime congruit, quod neque apud grammaticos Latinos hoc opus disertis uerbis laudatum inuenimus (nam de iis, quos huc referre possis, Victorini et Fulgentii locis infra uidebimus), neque Cicero ubi de Annalibus Latine scriptis loquitur (de legg. I. 2. de or. II. 12.) Cincium nominat, quamuis hoc per se argumentum non satis firmum esset, cum in fortuita Ciceronis enumeratione non omnes laudari iam dudum constat. Tota uero haec res ita uidetur explicanda, ut uel edocendo Hannibali, quem Graeci sermonis gnarum fuisse constat, opus suum destinarit, uel Graecorum potissimum eruditioni, quos ut digniore de Romanorum historia sententia imbuerent Fabium et Cincium et Acilium ([12])

N. 12. p. 94. Baehr hist. litt. Rom. p. 346. ed. alt. et nuperrime in ann. litt. Heidelb. XXXV. 2. 1842. N. 12. p 187. Roether ad Laur. Lyd. de mensibus p. 217. Krause l. l. p. 6 et 67. Whitte p. 7. Liebaldt p. 9. Westermann Hist. eloq. Rom. p. 25., ut aliquam tantum eorum partem nominem.

([12]) Acilii cum hoc loco mentio fuerit facienda, ueniam mihi datum iri confido, coniecturam aliquam ad eum spectantem prolaturo. in epitome nimirum libri Liuiani quinquagesimi tertii, qui annorum a. u. c. 611-613. continebat historiam, memoriae consignatum inuenio 'C. Iulius senator Graece res Romanas scribit', unde nomen eius in historicorum Romanorum ordinem transiit apud Krausium p. 127. cf. Dirksenium civ. Abh. I. p. 37. ac Klausenium l. l. p. 1063. cetero quin talis historicus nusquam commemoratur, Liuium uel maiorem aliquam huic libro disputationem de eo inseruisse inde coniiciendum est, quod epitomator eius habuit rationem. mirum certe uideretur hoc ἅπαξ λεγόμενον ni potius uitium in ipsis uerbis, sicuti nunc ea legimus, esset quaerendum: corrigendum enim est *Acilius*; utrumque enim nomen facillime commutari posse patet: C. Iulii porro nomen librariis notissimum fuisse oportet, Acilii haud facile cognouerint. huius uiri annales Graecos, ex Dionysio quoque, Cicerone, Plutarcho notos (cf. Krause l. l. p. 85 sq.) ipse Liuius bis laudat Claudii interpretatione Latina usus (XXV. 39. 'Claudius qui annales Acilianos ex Graeco in

Graece scripsisse suspicatur Niebuhr t. II. p. 9. (cf. Liebaldt

---

Latinum sermonem uertit' et XXXV. 14. 'Claudius secutus Graecos Acilianos libros'): de his igitur fusius eum disputasse multo magis est credibile. Acilius uero historicus quin idem fuerit atque ille quo a. u. 599. tres illi philosophi Athenienses in senatum introducti interprete usi sunt equidem non dubito Schlosseri quoque nisus auctoritate in conspectu hist. uniu. II. 2. p. 260: hic uero apud Gellium N. A. VII. 4. (cf. Macr. Sat. I. 5.) audit 'C. Acilius senator' id quod omnino cum senatore Romano epitomes Liuianae quadrat nostraeque emendationi maiorem reddit fidem. cui iam, cum extra fines uagari inceperim, alteram emendationem Liuianam liceat adiicere. lib. XLV. c. 15. a C. Flaminio L. Aemilio Censoribus a. 534. a. u. c. in quattuor urbanas tribus descripti dicuntur libertini 'praeter eos quibus filius quinquenni maior ex senatus consulto esset.' quo in loco Kreyssigio praeeunte Walter h. iur. R. p. 122. n. 52. corrigit 'ex se natus esset' eique assentitur Huschke Seru. Tull. p. 554. n. 56. monens hoc ita ortum sibi uideri, ut postquam librarius aliquis 'senatus' uno tenore scripsisset prima uocabuli sequentis 'esset' littera bis poneretur atque a sequentibus pro c legeretur. at simpliciore utor medela (uulgatam enim defensione sua non seruasse mihi uidetur Goettling h. reip. R. Hal. 1840. p. 395 sq. n. 9.) legens 'quibus filius quinquenni maior *ex se* esset', unde facillime, cum senatusconsultum per compendium S. C. scriptum inuenire sibi uiderentur, uulgatam lectionem efficere potuerunt, aeque ac legem Aeliam Sentiam Ciceroniano loco (Top. II. 10.) obtruserunt, ubi uoc. 'assiduo' male dirempto a s pro compendio a librariis habitum et plenius postea perscriptum esse acute monet Huschke l. l. p. 185 sq. n. 115. aliquantulum quoque stabilitur coniectura nostra loco Caesariano B. G. I. 44. §. 13, ubi ex codicum lectione 'quod fratres Haeduos appellatos diceret' et 'quod a se Haeduos amicos appellatos esse diceret' emendatione Oudendorpiana 'quod fratres a senatu Aed. a. d.' merito refutata haud sine magna ueri specie Schneiderus eruit 'quod fratres e senatusconsulto Haeduos appellatos diceret', monens multo facilius 'e S.C.' post 'fratres' in altero codd. genere excidere in altero 'a se' eius loco scribi potuisse. eam uero quam nos loco Liuiano intulimus formulam sollemnem fuisse docebit locus nostri simillimus apud eundem scriptorem XLI. 8. 'lex sociis *ac* nominis Latini (ita enim legendum esse contra Walterum l. l. p. 195. n. 20. probasse mihi uidetur Huschkius l. l. p. 530.) qui

l. l. p. 9.). praeter Dirksenium (civilistische Abhandl. I. p. 36.), apud quem ex silentio argumentum capere licet, quum de antiquissimo Graecarum apud Romanos scriptores litterarum usu disputans et Fabium, qui etiamsi Annales eius Latino sermone erant conscripti Graece ὑπομνήματα uidetur composuisse (u. Zumpt Ann. crit. Berol. 1829. II. N. 12.) et Cincium omiserit, solus Wachsmuthius l. l. p. 27., praeeunte tamen Reiskio in Dionys. Hal. A. R. editionis t. I. p. 601. ([13]), sequentibus ut fere uidetur Bernhardio h. litt. R. p. 81. ([14]) et van Heusdio in nitidissima de L. Aelio Stilone disquisitione (Trai. ad Rhen. 1839. p. 25.), Latine scripsisse Cincium contendit, et Fabii et Cincii Graeca tantum uersione Dionysium usum esse coniiciens, quam a Diocle illo Peparethio confectam arbitratur, cuius uestigia Fabius plerumque pressisse dicitur a Plutarcho (uita Rom. c. 3.), unde et a Cincio, quem saepe cum Fabio consentire iam monuimus, usum eius factum esse aliquis possit coniicere. at sicuti Wachsmuthius haec tantum proposuisse uidetur, ut nodum istum de Fabii Annalibus gladio dirimeret (id quod bene perspexit Krausius l. l.), ita et loco illi Plutarcheo parum fidei uidetur tribuendum. concedamus enim, quod urget Krausius p. 33, Plutarchum utrumque librum legisse et saepissime consentientem

---

stirpem *ex sese* domi relinquerent dabat ut ciues Romani fierent', cui adde exempla ab Handio (Tursell. t. 2. p. 636.) allata.

([13]) Qui cur L. Quincium Alimentum nominet Cincium equidem nescio.

([14]) 'Wenig oder gar nicht förderlich wurden die prosaischen Annalisten, deren erster Q. Fabius Pictor mehreren Staatsmännern, zunächst dem L. Cincius Alimentus und L. Calpurnius Piso, einen Vorgang in nüchterner alterthümlicher Erzählungsweise gab.'

inuenisse, concedamus ([14a]) Dioclem ante Fabium opus suum edidisse, tamen neque Fabium neque Cincium, quem antiquitatis studiosissimum fuisse mox cognoscemus, cum ipsa antiquitatis monumenta adire, cum ex uiuido traditionis patriae fonte haurire possent, Graeculi eiusque haud magni ut uidetur momenti ([15]) riuulis hortos suos irrigasse equidem crediderim.

Dioclem ceteroquin saepius cum iis consensisse non mirum est, cum iam Dionysio monente Graeci huiusmodi de historia Romana scriptores non magnopere a Fabio et Cincio recesserint. quod Dionysii dictum etiamsi paullo cautius considerandum erit, in plerisque tamen rebus, ubi una tan-

---

([14a]) Quod Klausenio quoque l. l. p. 595. n. 1089. Krausius persuasit, dum ipse cautius de ea quae inter Dioclem et Fabium obtinuerit ratione iudicium profert p. 576 sq.

([15]) Nam neque Dionysius Halicarnassensis eum memorat neque usquam alibi eius iniicitur mentio. quod enim Krausius p. 32. inuenisse se Archimedea fere exultatione gloriatur de Diocle testimonium apud Festum s. u. Roma p. 269. M. id Vrsini tantum ortum est supplemento, quod etiamsi ingeniosissimum probare tamen nihil ualebit. num uersibus conceptum fuerit opus Dioclis, id quod coniecit Niebuhrius t. I. p. 93. in hac testimoniorum penuria diiudicare non possumus. — Plutarchi uero de eo sententiam nobiscum addubitant plerique uiri docti Niebuhrius I. p. 222 sq. Zumptius l. l. p. 96. Baehrius l. l. p. 345. Whitte l. l. p. 12. Wachsmuthius denique p. 25 sq., qui tamen paulo audacius h. l. agere uidetur, Krausius contra l. l. et Blumius p. 109, quibus C. O. Müllerum ad Festi l. l. et Grotefendium zur Geschichte und Geogr. von Alt-Italien fasc. III. p. 3 sq. 5. accedere miror, cum Plutarcho faciunt; longius uero inde filum, quod ex Baehrio l. l. p. 346. uidi, ducere conatus est Dahlmannus, lucidissimum Pleïadis sidus, qui (Forschungen auf dem Gebiete der Gesch. II. 1. p. 130.) Fabii fontem Dioclem esse statuit, Dioclis Hellanicum. qua de re, cum nullum omnino fundamentum ex quo disputatio oriri possit inueniam, iudicium meum cohibeo.

tum erat eaque uulgaris traditio, utriusque populi scriptores praesertim in succinctis istis compendiis haud magnopere inter se differre necesse erat.

Quomodo inscriptum fuerit opus([16]) aeque nescimus atque utrum in libros diuisum fuerit nec ne. quem enim eius rei testem adducunt auctorem de origine gentis Romanae, ubi c. XVIII. Cincius l. I. laudatur, c. XVII. l. II. uidetur laudari, eum pro nullo habere mihi liceat, cum periurii stigma fronti eius sit inustum.([17]) quamobrem in ea quae nunc instituenda

---

([16]) Historiae Annibalicae titulum quem post Vossium de Hist. Lat. p. 18. quique eum sequitur Brummerum l. l. p. 3. protulerunt alii a Lachmanno l. l. I. p. 31. laudati, nec genuinum esse neque aptum, cum etsi breuiter, tota tamen usque ad id tempus Romanorum historia huic uolumini fuerit inserta, idem iam Lachmannus l. egregiae commentationis l. ac post eum Liebaldtius l. l. p. 8 sq. monuerunt. — num simpliciter Annalium an Historiae inscriptione opus signatum erat? ad rem diiudicandam certe neque testimonium auct. de orig. g. R. (a Blumio l. l. p. 68. allatum) neque Fulgentii (s. u. silicernios) satis firmam praebet auctoritatem.

([17]) Aurelium Victorem auctorem nominat adhuc Weichertus, quem honoris causa nomino, de L. Vario p. 185. n. 6., ita tamen ut et ipse haud intactas ueterum reliquias ab eo censeat, sed detersis antiquitatis sordibus suae aetati accommodatas (cum id quod de uno loco distincte pronuntiat de ceteris quoque eum censere probabile sit). Baehrius l. l. p. 467. quinto saeculo uel initio sexti libellum scriptum putat: sed ne duodecimo quidem eum extitisse qui id probatum iuit u. d. in ann. scholast. Darmst. 1830. p. 700 sq. probasse mihi uidetur. equidem hac in re, donec certiora futura docebit indagatio, uirorum his in litteris primas partes tenentium Niebuhrii (h. R. t. I. p. 94. n. 274.), Orellii (apud Baehrium l. l.), Bernhardii (h. litt. R. p. 279.) auctoritatem sequor, qui saec. xv. ab Annio fortasse Viterbensi uel Pomponio Laeto confictum eum arbitrantur cf. quoque H. Meyerum in ann. antiq. Darmst. 1835. n. 130. p. 1044 sq. coll. orr. Romm. fragmm. p. 14., qui tamen nimis praefracte sex simul libris locum natalem tristissimum uel in medii aeui scholis uel in

est, ut de indole ac fide operis iudicare possimus, fragmentorum enumeratione horum locorum rationem eatenus tantum habebimus, ut in fine eos addamus uncis inclusos, ne nostro iudicio nimis confisi eos omisisse uideamur.

Sunt autem fragmenta haec:

I. Dionysii Halic. A. R. lib. I. c. 74. p. 187. Reiske.

Τὸν δὲ τελευταῖον τῆς Ῥώμης γενόμενον οἰκισμὸν ἢ κτίσιν ἢ ὅτι δήποτε χρὴ καλεῖν Τίμαιος μὲν ὁ Σικελιώτης οὐκ οἶδ᾽ ὅτῳ κανόνι χρησάμενος ἅμα Καρχηδόνι κτιζομένῃ γενέσθαι φησὶν ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ πρότερον ἔτει τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος. Λεύκιος δὲ Κίγκιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου, περὶ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς δωδεκάτης ὀλυμπιάδος. —

Cf. qui eadem ex Dionysio proferunt Solinum c. I. §. 27. Goeze, Georg. Syncell. Chron. p. 365. Dindf., ubi Κίγκλιος extat in Cod., L. Caecilius uertit Goarius, Euseb. t. I. p. 383. Aucher, ubi in uersione Leucius Cincilius nominatur Cincius, a codd. Dionysii Vat. et Venetis Ambr. Καίκιος h. l. scriptus u. p. 11. n. 9. Graeca quae tanquam Eusebiana profert Krausius l. l. p. 74. ad comparationem facilius instituendam ex Dionysio addiderat Aucher. idem Krausius p. 72. de Dionysio Solini, Eusebii, Syncelli h. l. fonte non tam dubitanter loqui debebat.

II. Dionys. Hal. l. l. lib. I. c. 79. p. 201. R.

Dionysius postquam de ipsa Ilia ueterum scriptorum opiniones inter se differre dixit, sic pergit: ʽπερὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν ὁ Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἀλ-

---

fabricis istis saec. xv. assignat. grammaticum quendam libellum hunc composuisse, ut aditum ad Aurelii Victoris libellos aperiret, censet Schoell hist. abr. etc. t. III. p. 160., postquam post Aurelium eum iam collocauit Vossius de Hist. Lat. p. 196.

λων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν τῇδε γράφει' — ac deinde notissimam istam de Romuli et Remi infantia et adolescentia narrationem profert, qua describenda quum tota uulgari nitatur traditione neque quicquam in ea ad Cincium peculiariter pertinere uideatur, supersedere me posse credidi.

III. Apud eundem l. l. lib. II. c. 38. p. 317. et c. 39. p. 319. R. Narrat historicus Sabinos cum Tatio rege Capitolium inuasuros uisos esse a Tarpeia: 'καὶ αὐτὴν ὡς μὲν Φάβιός τε καὶ Κίγκιος γράφουσιν ἔρως εἰσέρχεται τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν καὶ τῶν δακτύλων. χρυσοφόροι γὰρ ἦσαν οἱ Σαβῖνοι τότε καὶ Τυῤῥηνῶν οὐχ ἧττον ἁβροδίαιτοι.' ([18]) alteram deinde profert Pisonis narrationem, Tarpeiam scilicet hostes armis corpus protegentibus denudatos ciuibus suis fuisse tradituram. utra uero harum uera sit id ex rebus postea gestis licere coniicere (assentitur ipse Pisoni cf. c. 40.). in ea quae tum sequitur de Tarpeiae cum Tatio pacto narratione omnes consentire ueteres scriptores monet Dionysius, ita tamen ut Piso narret, Tarpeiam pactum hoc per nuncium aliquem Romulo fuisse indicaturam, hunc tamen ad Sabinos transfugisse: 'οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιόν τε καὶ Κίγκιον οὐδὲν τοιοῦτον λέγουσι γεγονέναι ἀλλὰ φυλάξαι τὴν κόρην διαβεβαιοῦνται τὰς περὶ τὴν προδοσίαν συνθήκας· τὰ δ' ἑξῆς ἅπαντες πάλιν ὁμοίως γράφουσι.' iam sequitur notissima huius rei enarratio, ubi Cincius cum ceteris certe consensit, Pisonis uero sententiae in sequentibus quoque aliqua notatur discrepantia.

IV. Liuii hist. lib. VII. c. 3.

Lex uetusta est, priscis litteris uerbisque scripta, ut qui prae-

---

([18]) Verba καὶ Τυῤῥηνῶν οὐχ ἧττον ἁβροδίαιτοι haud immerito a Klausenio l. l. p. 1184. n. 2423. notari uidentur tanquam a Dionysio Fabianis assuta ('ein entstellender Zusatz des D.').

tor maximus sit Idibus Septembribus clauum pangat. fixus [fixa: alii] fuit dextro lateri aedis Iouis optimi maximi ex qua parte Mineruae templum est. eum clauum quia rarae per ea tempora litterae erant notam numeri annorum fuisse ferunt: eoque Mineruae templo dicatam legem quia numerus Mineruae inuentum sit. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae comparere diligens talium monumentorum auctor Cincius adfirmat.

Apposui haec quidem Cincii Alimenti annalium fragmentis, uix uero infitias eam, quod fecit Lachmannus l.l. I. p.31., libri Cinciani de fastis argumento optime quae hic proferantur conuenire. atque huic libro hoc fragmentum assignarem, ni a Cincio multo posteriore, Liuio fere aequali scriptus esset, id quod infra probabimus, talis uero antiquarii suae aetati proximi laudatio a Liuiano more omnino uideretur abhorrere (cf. quoque Liebaldtium l.l. p.12. n.2.). Liuius enim quamquam historicos haud multo uetustiores laudat ueluti Valerium Antiatem, Licinium Macrum, Claudium Quadrigarium, grammaticos et antiquarios nusquam fere uidetur respexisse. at cum Cincius quoque Alimentus de urbis Romae origine chronologicas uideatur instituisse disquisitiones, argumentum huius fragmenti ab eo haud alienum est (cf. p.22 sq.).

V. Liuii hist. lib. XXI. c.38.

Quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint nequaquam inter auctores constat. .... L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor [me] ([19]) mo-

---

([19]) 'maxime' h. l. ut legam contra Sigonium, Niebuhrium (t. I. p. 287.), Lachmannum (l. l. I. p. 30. n. 1.), qui 'maximus' exhibent, omnium fere bonorum codd. consensu (cf. I. F. Gronouii et Draken-

ueret, nisi confunderet numerum Gallis Liguribusque additis. cum his octoginta milia peditum decem equitum adducta in Italiam (magis adfluxisse uerisimile est et ita quidem auctores sunt), ex ipso autem audisse Hannibale postquam Rhodanum transierit triginta sex milia hominum ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse in Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum [digresso, degresso: alii].

[Quibus fragmentis iam locos ex libello de origine gentis Romanae, de quibus sententiam nostram p. 16 sq. n. 17. protulimus, addituri sumus; sunt autem hi:

c. 17. post haec Ascanius completis in Lauinio triginta annis recordatus nouae urbis condendae tempus aduenisse ex numero porcorum, quos pepererat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita est, Albanus nuncupatur, ciuitatem communit; eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis Albam cognominauit. quumque illuc simulacra Deorum Penatium transtulisset, postridie apud Lauinium apparuerunt: rursusque relata Albam appositisque custodibus nescio quantis se Lauinium in pristinam sedem identidem receperunt. itaque tertio nemo ausus est amouere ea, ut scriptum est in Annali Pontificum IV. lib. Cincii et Caesaris II. Tuberonis I.

Narratio haec saepius apud Romanarum rerum scriptores

---

borchii h. ad l. annott.) moueor, imprimis Colbertini primi et Medicei, quos hanc lectionem tueri beneuole me docuit, quo humanissimo olim praeceptore gauisus sum, sollertissimus Liuii sospitator Alschefskius, cuius uiri ill. consilio motus 'me' quoque, quod in Colb. I. deest, in Med. a manu demum tertia adscribitur, delendum esse indicaui.

occurrit Dionysium, Valerium Maximum, Augustinum, Seruium cf. ll. ll. a Klausenio p. 623. n. 1115. in libro saepius citato, ut auctor sicuti solet tritis rebus insolitas apposuerit auctoritates.

c. 18. post eum (20) regnauit Tiberius Siluius Siluii filius. qui quum aduersus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in Albulam flumen deperiit mutandique nominis extitit causa, ut scribunt Lucius Cincius lib. I. Lutatius lib. III.

Haec quoque narratio tritissima Cincii et Lutatii nomine exornatur; cf. ll. ll. a Müllero ad P. D. s. u. Albula p. 4., Lorenzio de dictatoribus Lat. et mun. Grimmae 1841. p. 6. n. 13. (de nomine regis Tiberius uel Tiberinus cf. tabulam ibid. p. 8. propositam), Hartungio de relig. Rom. t. II. p. 102. u. quoque Ouid. Fast. IV. 47 sq.]

Ad Cincium porro Heynius in excursu IV. ad lib. Aeneidos VII. (t. III. p. 150. ed. Wagnerianae), identidem tamen de C. quoque Acilio cogitans, rettulit locum quendam Strabonis ex libro quinto (t. I. p. 373. ed. Tauchn.): 'καὶ ὁ Κεκίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ.' at hoc loco L. Coelium Antipatrum esse intelligendum optime monuit Lachmannus l. l. I. p. 30.: dubitat quidem Krausius l. l. p. 184. num Coelius hic laudari potuerit, qui 'nisi forte tanquam in transitu, de antiquissimis urbis temporibus non disseruerit,' sed cur haec non 'in transitu' potuit monere, sicuti alia quoque eiusmodi haud immerito ad hunc Coelium uidentur referri? (cf. Krausium p. 185.) (20a)

---

(20) sc. Siluium Postumum, qui Ascanium excepisse dicitur c. 17. f.

(20a) De Aenea et Mezentio narrationis eius, quam Ouidius sequi-

Iam igitur certa Lucii Cincii Alimenti fragmenta quattuor uel quinque tantum habemus (cetera p. 12. laudata, quae cum ad nostrum non certe pertineant fundamentum disputationis esse nequeunt, h. l. possumus omittere), ex quibus de indole, dignitate, fide eius iudicium nostrum feramus. quae si accuratius spectamus iam ex eo quod primo loco posuimus apparet, singularem eum de urbis conditae anno opinionem protulisse. quam ingeniosissime ita explicare conatus est Niebuhrius h. R. t. I. p. 299 sq. cf. p. 286 sq. ut ille, cum annus decem mensium usque ad Tarquinium Priscum, sicuti tradiderat Iunius Gracchanus ([21]) peritissimus antiquitatis indagator, i. e. per centum triginta duos annos in usu fuisset, hos ad anni ciuilis normam reuocaret indeque uiginti duobus annis iuniorem Romam inueniret, quam ceteri omnes, ita ut, si Polybianam, quam nos uocamus, aeram sequeretur, in quartum olympiadis duodecimae annum incidere eum oporteret. cum hac uero diligenti chronologicarum rationum obseruatione optime quartum quod posuimus fragmentum congruit, unde Cincium (si modo is est Cincius Alimentus) diligentem talium monumentorum ut ait Liuius ([22]) auctorem in ueterem

---

tur Fast. IV. 879 sqq., fontem Cincium uel Albinum fuisse coniicit Klausenius l. l. p. 600., id quod solidiore aliquo fundamento nobis uidetur carere.

([21]) De Iunio hoc Gracchano cum quae traderentur nusquam collecta uiderem ad calcem libelli disputatiunculam adieci, quam ne nunc quidem nolui supprimere, postquam comperi fusius hac de re egisse Mercklinium (de Iunio Gracchano commentatio partic. I. II. Dorpat 1840. 1841. 8.). huius enim libellum sicuti a me ita ab aliis quoque frustra desideratum iri censeo.

([22]) VII. 3. qui num in praecedentibus quoque, ubi latius quam assolet de antiquitatibus exponit, Cincium secutus sit, quod Lachmanno uidetur l. l. I. p. 67. coll. II. p. 17., ea de re iudicium cohibeo.

istam temporis per cyclum saecularem definiendi rationem accuratius studium impendisse docemur. cf. Niebuhrium h. R. I. p. 294. ([23]). in fragmento secundo et tertio, ex quibus non tam breuiter, ut ex Dionysii uerbis I. 6. primo aspectu possit apparere de tempore antiquissimo Cincium egisse coniicias, de iuuentute Romuli et de Tarpeia ([24]) uulgarem eum eamque notissimam historiae uetustissimae traditionem una cum Fabio secutum esse uidemus, ex qua tanquam ex limpidissimo fonte in rebus istis enarrandis ubiuis utrumque hausisse crediderim, cum Dionysius, qui ubi singuli a trita hac uia recedunt, ea de re admonere solet lectorem, nunquam hoc modo eos commemoret. quod enim de anno Romae natali Cincius ex suo dedit ingenio, id cum his fabulosis narrationibus minus est coniunctum. quod ad fragmentum denique de bello Punico attinet uel consulto uel ab

---

([23]) De claui figendi caerimonia uarias uu. dd. opiniones recensere hic longum est: cf. de ea Idelerum in script. acad. scient. Berol. 1818. 1819. p. 127., ubi de chronologia Romanorum disseruit, quam postea iterum tractauit in libris de chronologia uniuersa compositis, Niebuhrium praeter l. l. p. quoque 279 sq. et 524 sq. uol. I., Müllerum in libro de Etruscis t. II. p. 329-331., Walterum hist. iur. R. p. 189. Goettlingium hist. reip. R. p. 180. 271. (qui de posterioris aetatis dictatoribus claui figendi causa agit p. 283. cf. Fuss antiqq. R. p. 186. §. 201. ed. 3. Lips. 1837.), Huschkium de Seru. Tullio p. 325. coll. p. 516 sq. quique minus chronologiae quam symbolicae alicui notationi eum inseruire probatum iuit Klausenium l. c. p. 1010. cf. p. 999. Thorlacii de clauo annali libellum, quem l. Müllerus, equidem non noui.

([24]) Pisonianae narrationis peruersitatem docet Niebuhrius I. p. 249. cf. p. 247. II. p. 10 sq. Ambroschius contra de Fabiana quae Cincii quoque est et ceterorum hac de re scriptorum narratione dubitantes nos facit, Tarpeiam Deam proprie esse exponens l. supra l. p. 148. n. 86. coll. p. 197.

Hannibale deceptum falsa ibi tradere Cincium in animum sibi induxit summus Gibbon (miscellaneous works t. II. p. 186 sqq.), l. a. Lachmanno II. p. 16., qui contra ingeniosissima disputatione euincit p. 81. non Cincium hic errasse, sed Liuium Graecae linguae imperitia Polybii uerba inconsultius nonnumquam uertentem, in Cincii quoque sententia interpretanda lapsum esse. quos enim Cincius ipsi tabulae Laciniensi ab Hannibale conscriptae (Polyb. III. 33.) consentiens ex Hispania in Italiam profectos dixerit, eos Liuium revera eo peruenisse putasse, ita uero hanc rem explicaturum fuisse, ut Gallos et Ligures, qui postea affluxerint neque unquam tantum numerum effecerint, a Cincio errante adiectos esse scripserit. Praeterea eum non laudat Liuius: num uero saepius quam nomine adiecto eum laudarit, eius scriptis usus sit, quod uidetur Lachmanno l. c. II. p. 17. id sicuti supra (p. 22. n. 22.) ne hic quidem decernere audeo. quod Polybius eius mentionem nusquam iniecit sane mirum, laudi tamen Cincii inde aliquid detrahere non ausim, id quod fecit Liebaldtius, qui omnino p. 9-12. iudicium paullo seuerius aduersus eum exercere uidetur. quamuis enim pateat(25) magnam eius, quam prae ceteris Niebuhrius hist. Rom. t. I. p. 286 sq. (coll. t. II. p. 31.), Lachmannus l. l. I. p. 29. II. p. 16., Blumius Einleitung, p. 67 sq., Bernhardy hist. litt. Rom. p. 81. 256. 325. ei tribuunt, laudis partem eo niti, quod multorum aliorum qui Cincii nomen prae se ferunt librorum de antiquitate Romana imprimis agentium, hunc auctorem esse crediderunt, qua de re iudicium nostrum mox proferemus, id certe negari nequit, et chronologicis rationibus in-

(25) cf. quoque Krausium l. l. p. 11.

dagandis eximie eum studuisse, et monumentorum ope teste Liuio diligenter eum usum uideri (quam ob rem eum laudant Niebuhrius t. I. p. 261. et Blumius l. l. cf. quoque Ambroschium l. c. p. 164 sq.), et in fabulosa prisci aeui historia enarranda nihil ex ingenio addidisse, sed simpliciter quae per continuum traditionis decursum in ciuium ore uigerent eum secutum esse, unde etiam in ceteris operis partibus probae ac simplici rerum enarrationi eum operam nauasse colligendum erit. hanc ob rem meritis laudibus extollere credo Dionysium I. 6. eius ἀκρίβειαν in earum quibus ipse interfuerit rerum narratione, quae uituperatione Liuii, quam ex ipsius errore ortam uidimus, non imminuuntur, ut Cincium sicuti antiquitatem sine ullo fuco, ita et sui temporis historiam accurate ac summa cum fide posteris tradidisse censeam. quamobrem quod arbitratur Liebaldtius l. l. p. 11. contemptu fere annalium Cincianorum factum sibi uideri ut Dionysius Cincium ex Fabio narrationes suas mutuatum censeret (qua de re quid equidem sentirem, supra iam est expositum), id uirum doctissimum sustinere posse uix crediderim: Fabium enim et Cincium omnino pares inter se ponit Dionysius I. 6. idem omnino de utroque ferens iudicium, neque sane si Cincium contemneret sollemnius et quasi honoris causa I. 74. ἄνδρα ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου eum nominaret, qua ipsa re grauitatem eius potius indicaturus uidetur. eundem denique Catonis Censorii, quem summis laudibus effert I. 74. cf. I. 11., et Pisonis et omnium fere aliorum, qui hisce de rebus libros composuerunt contemptum Dionysio inesse statuendum foret, qui omnes eos Fabium secutos esse una

cum Cincio tradit l. I. c. 79. ab hac igitur parte Cincii laudem augeri potius quam imminui censeo.

In illo uero ipso monumentorum indagandorum studio, quo hunc Cincium excelluisse ex loco Liuiano colligere posse nobis uisi sumus, Blumius l. c. p. 67 sq. plebeiam aliquam historiae conscribendae rationem patriciae Fabii oppositam repperisse sibi uisus est, simile inter Naeuium atque Ennium statuens discrimen. Cincium enim, uulgari traditione non contentum, monumenta quaesiuisse atque inter se comparasse, earum quas narraret rerum ueritatem ipsum testaturum. hoc uero plebeium decere, qui humiliore loco natus fabularum istarum sacris gentiliciis adhaerentium fidem seruare non tanti haberet, cuique gloriae istius memoria non esset pie colenda, quam familiae patricii generis haud raro sine iusta aliqua causa usurparent. at haec a Baehrio quoque improbata (hist. litt. Roman. p. 347.) post Zumptii ([26])

([26]) In censura libri Blumiani ann. crit. Berol. 1829. tom. I. n. 12. inserta. uiri clarissimi ipsius uerba, quibus lectorem fraudare nefas duxerim, hic apponere mihi liceat: 'Der patrizische und plebeiische Gegensatz in den ältesten prosaischen Historikern (noch vor Ennius) Fabius Pictor und L. Cincius Alimentus ist noch unsicherer [quam id scilicet quod inter Ennium et Naeuium discrimen statuit idem Blumius] oder vielmehr ganz fingirt. Denn dass Fabius einem patrizischen Geschlechte, Cincius einem plebeiischen angehörte, reicht doch gewiss nicht hin und Cincius hatte höheren Rang im Staatsdienst als Fabius. H. Blum folgert auch nicht sowohl aus dem antiquirten Unterschiede der Familien, als aus der diplomatischen Gründlichkeit, mit welcher der Plebeier Cincius die Geschichte behandelt haben soll S. 67.: "Welch ein gewaltiger Schritt in der Geschichte, dass sich der Schriftsteller nicht bei der gewöhnlichen Überlieferung beruhigt, sondern Urkunden aufsucht und diese mit einander vergleicht, um durch sie die Wahrheit dessen, was er erzählt, zu bezeugen! Und dies wie

doctam et facetam disputationem 'credat Iudaeus Apella'.

---

ganz im Sinne eines Plebeiers, der aus keiner vornehmen Familie entsprossen, auch kein Bedürfnifs fühlte, die Fabeln zu glauben, welche an die Familienopfer sich knüpfen mochten, oder ohne weiteres dem Ruhm zu trauen, welchen nicht selten grofse Familien ohne Grund sich zueigneten!" Aber waren Urkunden vorhanden, so mufsten sie doch wohl am meisten den Ruhm der patrizischen Geschlechter bezeugen als der einzigen damals an der Spitze des Staates!' Iam uides Blumianae sententiae nullum restare fundamentum.

---

§. 3.
DE CETERIS FRAGMENTIS QVAE SVB CINCII NOMINE NOBIS SERVATA SVNT VIRORVM DOCTORVM SENTENTIAE.

L. Cincio Alimento annalium scriptori permultos libros, qui uel sub L. Cincii, uel sub Cincii nomine a grammaticis et antiquariis laudantur: de fastis, de comitiis, de consulum potestate, de officio ICti, mystagogica, de uerbis priscis, de re militari, historiam denique de Gorgia Leontino, quam citare uisus est Fulgentius, Cincio Alimeto [*sic*] auctore nominato, uu. dd. quorum recensum inuenies apud Longolium t. II. p. 11. ([27]) sine ulla dubitatione adscripserunt, donec in Longolii notitia Hermundurorum t. II. p. 3-14. ed. Ernestianae (cf. tom. I. p. 121 sq.) omnes iuniori cuidam Cincio tribuerentur, eam ob causam imprimis (t. II. p. 9.) quod illi negotiis publicis districto otium non fuerit ad tot libros conscribendos. at haec, quae etsi per se sane futilia, tamen in rectam uerum inueniendi uiam deducere aliquem potuissent, omnino neglecta uidentur ipseque Niebuhrius, a quo L. Cincium Alimentum summis inde laudibus praedicari iam uidimus, multis locis omnia haec scripta ei assignat (t. I. p. 287. 346. t. II. p. 10. 12. 31. 45. t. III. p. 304. hist. Rom.). cuius summi uiri auctoritatem sequentes uel Longolianam dubita-

([27]) Tabulae Longolianae adde si tanti Brummerum in diss. de lege Cincia supra l. p. 3.

tionem siue ignorantes siue reiicientes multi uu. dd. etiamnunc ueterem istam de horum librorum auctore sententiam uel tacite amplexi sunt, uel expressis uerbis probarunt, ex quibus auctoritatis causa nomino Dirksenium ([28]) et Hasium ([29]) et Puchtam (Instit. t. I. p. 295.). Lachmannus quoque in prima de fontibus Liuii commentatione, anno 1822 edita, p. 9. 29 sq. 32. ueterem opinionem retinet monens nihil habere Longolii sententiam quo probetur. at sex annis post cum secundam eximiarum istarum ederet commentationum iterum futilem quidem Longolii esse disputationem perspexit

---

([28]) ICtorum Romanorum fragmenta p. 34 sq.

([29]) Ex ea enim serie, qua in Praef. ad Laur. Lydi de ostentis librum p. xxi. ed. suae, p. lxi. ed. Bekkerianae, scriptores de religione Romanorum profert, colligere hoc licet. utinam u. dss. quod tum moliebatur consilium horum scriptorum fragmenta ex codd. partim mss. ab ipso eruta edendi nunc demum post uiginti fere annos exsequeretur! — eandem sententiam profitentur Rein ius Rom. priuat. p. 75., Baehr h. litt. R. p. 346 sq. 672. (quamuis nunc iam dubitare uidetur conf. annal. Heidelb. l. p. 12. l.) Walter h. iur. R. p. 440., Hartung de relig. Rom. I. p. 94., Lindemann ad Charisium (corp. gramm. Lat. IV. p. 1.) p. 76. ann. 21.; librorum de fastis L. Cincium Alimentum auctorem putat Roether ad Laur. Lyd. de menss. p. 217. de re militari praeter Liebaldtium mox laudandum Creuzerus in compendio antiqq. Rom. p. 366. ed. 2. Osenbrüggenius de iure belli et pacis Romanorum, Lips. 1836. p. 30. n. 2. p. 61. n. 4. (ridiculus fere h. l. Naudaei error notandus qui amissos quaeritur praeter *L. Cincii* de re mil. libros Varronis quoque, Plinii, *Alimenti* etc.: de studio militari II. 4. 7.). idem Osenbrüggenius in Kieler philol. Studien, 1841. p. 233. (das altrömische Paricidium p. 23.) quae in l. de off. ICti Cincius dicitur tradidisse Cincio Alimento assignat; de uerbis priscis, de fastis etc., eundem putat scripsisse Lersch Sprachphilosophie der Alten, t. III. p. 136 sqq. Bonn 1841. 8., qui explosis plurimis Longolii et Krausii argumentis, ad quorum refutationem quae equidem conscripsissem cum eius rationibus saepius consentire nunc iam uidi, quaestionem hanc absoluisse sibi uidetur.

(p. 16.) eique obiici posse monuit, quod ipsa fortasse captiuitate otium ad tot libros conscribendos Cincio factum esset, [30] tum uero haec addidit 'ceterum an libri ad antiquitates et rem grammaticam spectantes ad L. Cincium Alimentum recte referantur longa est quaestio ab hoc loco aliena. certe libri de re militari et complures alii a Cincio multo seriore scripti esse uidentur.' subtili certe ac docta disputatione, ut assolet, haec accuratius expositurus fuisset u. dss. si editionem reliquiarum ueterum historicorum Latinorum, quam praeparabat (cf. II. p. 15.) absoluere ei contigisset, meliora certe propositurо, quam nunc qui eius uices suscepit proposuit Krausius. eodem uero tempore Blumius l. l. p. 68 sq. ueterem istam tritamque cum nimia ut mihi quidem uidetur fiducia [31] sequens opinionem censorem nactus est strenuissimum Carolum Timotheum Zumptium, qui in annalibus crit. Berol. l. l. p. 94. breuissima eaque ingeniosissima disputatione

---

[30] At eo argumento uix opus est. si enim ceterum horum librorum auctor annalium scriptor esse posset ista omnino non obstarent: non omne uitae tempus ita rebus bellicis dicasse Cincium, ut non litteris quoque aliquantulum certe temporis potuerit donare iam opere historico ab ipso composito probatur, atque in ipsis castris, cum 'inter tela uolantia, inter classica et tubas', de analogia libros scripserit Caesar, doctos Iuppiter et laboriosos, Cincio quoque scribendi manserit otium, ne omnia congeram exempla, quae Menkenii proposuerunt in bibliotheca uiror. militia aeque ac scriptis illustrium, ubi Cincium Alimentum omissum esse monet Longol. l. l. I. p. 121.

[31] Ne temere iudicasse uidear apponam quae ille protulit l. l. 'Was unter des Cincius Namen angeführt wird, beinahe Alles sind Früchte scharfsinniger Forschung in einem und demselben Sinne wie Livius ihn bezeichnet hat. Darin liegt denn, da sonst nichts entgegensteht, wohl der beste Beweis, dafs sie alle von unserm Geschichtschreiber herstammen.' at permulta obstare uidebimus.

ipsis fragmentis aetatis posterioris notam inesse primus docuit, ut ab eo huncce errorem sublatum iure dicat Maduigius, quem honoris causa nomino, in egregia de Attii didascalicis disputatione (Haun. 1831, repetita in Opusculis, Haun. 1834, ubi u. p. 105.). quam ipsam sententiam cum Krausius, cuius tamen argumentationem uix uno alteroue loco possum probare, Liebaldtius, (32) Merkelius (in comm. de obscuris Ouidii fastorum editioni suae horum librorum, Berol. 1841. 8., praeposita p. LXXV sq.) secuti sunt, mediam aliquam uiam ingreditur Bernhardy, u. ill., qui postquam in prima hist. litt. Rom. sectione p. 81. omnia ueteri isti Cincio Alimento tribuit, in altera p. 256. ann. 485 (cf. p. 325.) ceteroquin in eadem permansit sententia, librum tamen de uerbis priscis a Festo saepius laudatum aut ad alium eiusdem nominis auctorem pertinere dixit aut epitomen esse ex antiquis istis quae extitisse sibi persuasit Cincianae eruditionis documentis. (33)

Priusquam uero ad haec indaganda atque ex omnibus partibus accuratius perpendenda procedamus, ipsorum fragmentorum dari oportebit conspectum, quo facilius iudicium nostrum deinde possimus exponere.

---

(32) qui tamen et ipse p. 14. et p. 16 sq. libros de re militari historico assignat.

(33) 'Des L. Cincius Geschichten sind unscheinbar geworden und nur die schätzbaren Ueberbleibsel seiner antiquarischen Schriften geben einen Begriff von der Gelehrsamkeit dieses Staatsmanns; doch der von Festus in einer Reihe von Artikeln benutzte *liber de verbis priscis* gehörte entweder einem anderen an oder war ein Auszug aus den alterthümlichen Forschungen des Cincius', quod ita facete interpretatur Merkelius p. LXXVI. l. l., ut quem librum Cincii de uerbis priscis Festus laudet, Bernhardy dicat fuisse de uerbis priscis Cincii.

§. 4.

FRAGMENTORVM TABVLA.

I. De fastis liber.

1. Macrob. Saturn. lib. I. cap. 12:

Secundum mensem nominauit (sc. Romulus) Aprilem, ut quidam putant cum aspiratione quasi Aphrilem a spuma, quam Graeci uocant ἀφρὸν, unde orta Venus creditur et hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret .... sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutum sit, sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla ut ceterorum coelestium laus celebretur. Cincio etiam Varro consentit ..... non tamen negat Verrius Flaccus .....

uocant ἀφρὸν] ug. 'ἀφρὸν uocant', at edd. quas inspexi saec. xv. Brix. a. 1485. Ven. a. 1492. (quarum illa exhibet 'uocat') uerba ita collocant, uti scripsi. — Cincius] Cingius edd. uett. — Cincio] Cingo Brix. et Ven. Cingio ed. Riuii a. 1513. Ascens. 1519. Colon. 1521. — quosdam] qui sint illi 'quidam' infra exponetur. — Varro] Varronem in sqq. ab aperiendo nomen deducere dicit Macrobius, ipsum de l. l. VI. 33. locum nobis seruatum ut uidetur respiciens cf. Spen-

gelium ad Varr. l. l. — Cincianam de Venere sententiam eo usque tuetur Klausenius l. l. p. 732., ut etiamsi regum aetate cultam eam non esse haud probauerint Varro et Cincius, id tamen ex eorum uerbis concludendum sit, quod non ad Deos ab ipsa republica publico cultu ornatos pertinuerit.

2. Io. Laurentius Lyd. de menss. IV. 44. p. 216. Roether, p. 79. Bekker.

Opinione et τῶν παλαιῶν et τῶν φιλοσόφων de Venere prolata Κίγκιος δὲ inquit ὁ Ῥωμαῖος σοφιστής φησι τὴν Ἀφροδίτην ἐξ ἀφροῦ τεχθῆναι οἱονεὶ ἐκ τοῦ χιονώδους ἀέρος καὶ τῆς ψυχρᾶς οὐσίας τὸ ἔαρ ἀποτεχθῆναι. τοσαῦτα περὶ Ἀφροδίτης ἀνατεθῆναι - - [desunt nonnulla uerba]. οὕτως μὲν οὖν Ἕλληνες. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ἀπρίλιον αὐτὸν ὡσανεὶ ἀπερίλιον (οἱονεὶ ἀνοικτικὸν τοῦ καιροῦ) φασίν.

Num recte huc fragm. hoc posuerimus ad fragm. 5. uidibimus. — σοφιστής] hoc uocabulum, si recte memini, semel tantum praeterea apud Lydum occurrit (de magg. II. 21.) ubi sermo est de Sergio, praef. praet. Anastasio imperatore, qui Sergius summis laudibus effertur a Lydo ibid. III. 20. — de his ueterum de mensis Aprilis nomine sententiis disputat Merkelius l. l. p. LXXX. cui praeter ipsum locum Laurentianum adde Seru. ad Georg. I. 43. 217., qui Varronis (34) sequitur sententiam, dum Plut. Numa 19., Isid. Origg. V. 33. 7. utramque proferunt opinionem. nostro consentit quoque Huschkius Seru. Tull. p. 323.; quae tamen idem de anno ac mensibus Romanorum disputauit nimis sunt subtilia ut uera esse possint. tertium etymon habes apud Mar. Victorin. p. 2470.

---

(34) Haud recte Varronis sententiam ex loco Macrobiano elicuit Hartungius Rel. Rom. II. p. 143.

P. quod eo tempore omnia sata arboresque et herbae parturiant pariantque. at mihi persuasit Goettlingius u. dss. l. saepius l. p. 168. n. 4. Parilem hunc Parilium mensem primum esse nominatum, deinde litterarum sede mutata Aprilem, haud uero Hertzbergio, qui in censura libri Goettlingiani (Hall. Jahrbb. 1841. N. 143. p. 570.) iterum ab aperiendo eum nominatum esse contendit.

3. Macrobius l. l.

Cincius [Maium sc.] mensem nominatum putat a Maia quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic Deae rem diuinam facit. sed Piso uxorem Vulcani Maiestam non Maiam dicit uocari.

Cincium] Cingius omnes quas contuli edd. uett. — de ipsa re cf. doctam Merkelii l. l. expositionem.

4. Macrob. l. l.

Iunius Maium sequitur aut ex parte populi [iunioribus sc.] ut supra diximus nominatus aut ut Cincius arbitratur quod Iunonius apud Latinos ante uocitatus diuque apud Aricinos Praenestinosque hac appellatione in fastos relatus sit.

Cincius] Cingius h. l. edd. uett. omnes, uel Paris. a. 1585, quae hucusque semper nomen emendarat, praeter Venetam, quae typographi ut uidetur errore praebet Cigius. — de mensis nomine iterum satis habeo ad Merkelium meum p. LXXX sq. prouocasse.

5. Laur. Lydus l. l. IV. 92. p. 290. Rr. p. 108 sq. B.

Κίγκιος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑορτῶν λέγει τὸν Νοέμβριον παρὰ τοῖς παλαιοῖς Μερκηδῖνον ὀνομασθῆναι ὡσανεὶ μισθοφόρον· ἐν αὐτῷ γὰρ τοῖς κτήτορσιν οἱ μισθωτοὶ τὰς προσόδους εἰσέφερον τοῦ παρελθόντος κύκλου ἑτέρων καρπῶν αὖθις ἐπερχομένων. Νοέμβριος δὲ ὕστερον ὠνομάσθη ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ· ἔννατος γὰρ ἐκ τοῦ Μαρτίου.

cf. Roetherum ad h. l. et Huschkium Seru. Tull. p. 328. n. 90.

At Merkelius l. l. p. LXXVI.: 'etiam monendum est, cum a Laurentio Lydo de mensibus 4. 92. p. 290. Rö. Cincii, qui Ῥωμαῖος σοφιστὴς appellatur 4. 44. p. 216., liber περὶ τῶν ἑορτῶν nuncupatur, non id esse librum de fastis, sed de feriis: quare auctor fuerim apud Macrobium I. 16. p. 267. in illis uerbis: quia Titius de feriis scribens, uti reponatur Cincius. ea nomina permutata sunt apud Io. Sarisberiensem 8. 7., uel potius apud Macrobium 2. 9. fin., ubi uide Meursium. uetus ed. Macrobii Ven. 1492. habet Sat. 1. 12. p. 248. l. 2.: ut Cigius arbitratur. Charisius I. p. 107. P. Varronem et Tullium et Cintium coniungit. Consentius p. 2031. P. Cinum allegat. postremo non dubito, quin quae Macrobius Sat. 3. 2. p. 386. de uoce uitulari, Festus p. 98, 22. Vrs. de rica, p. 205, 2. Müll. de offendicibus sub Titii nomine proferunt, sint ex L. Cincii libris de uerbis priscis, non ex C. Titii Sex. f. Sex. n. tribuni plebis a. u. c. 597. orationibus.' — quae coniectura ingeniosa diplomaticis certe rationibus egregie firmatur: litterarum enim t et c in codd. mss. confusio est creberrima ([35]), n uero lineola tantum suprascripta exprimi solet, ut facillime utrumque nomen possit confundi. exempla uero ab ipso Merkelio allata si spectamus, editio Veneta alibi semper, ut uidimus, sicuti cett. edd. uett. Cingius exhibet, semel Cingo, ut h. l. n errore tantum typographico omissum nobis uideri supra iam notauerimus; apud Charisium, ubi Putschius exhibuerat secundum edd. ueteres Cintium, ex codice Cincium re-

([35]) cf. e. g. Drakenborchium ad Liu. saepius, imprimis ad VI. 35. 2. Waltherum ad Tac. Ann. XIV. 8. 11., ad Hist. IV. 50. 84. Kritzium Prolegg. ad Vell. Pat. p. LXXXVII.

stituit Lindemannus ed. suae p. 76. (quae tamen Putschii lectio, si ex falsa cod. lectione orta est, et ipsa facilem litterarum t et c permutationem demonstrat): Cintius autem legitur in cod. Bibl. Reg. Paris. n. 7539. saec. f. ix. [Gaisf. scriptt. Latt. rei metr. praef. p. v.] ap. Marium Victorinum (p. 2468. Putsch. p. 25. Gaisf.); quod uero denique in u. 'Cinus' apud Consentium in Arte p. 2031. P. Cincii nomen agnoscit, in eo paullo festinantius uir amicissimus egisse mihi uidetur, cum utique h. l. legendum sit 'Atacinus' (36). exempla uero huius

(36) Legitur enim apud Consentium l. l. 'etiam illud notandum est, quod interdum alicuius urbis non ipsum nomen enuntiari potest cum quasi per deriuationem ciues significentur ut Padinates; neque enim Padinam dicimus. ergo uel ex auctoritate, si qua erit, uel ex collectione similitudinum uniuscuiusque urbis primum directum casum examinare debemus, ut ecce ait Cinus 'munitus uicus Caralis'. apparet nominatiuo positum Caralis et egisse semper plurali numero; sed hac eadem significatione nominatiui per omnia genera ibitur. nam quemadmodum dicis 'uicus Caralis' sic tibi dicendum est 'haec urbs Caralis' et 'hoc oppidum Caralis'.' — quod 'Cini' fragmentum si accuratius spoctamus iam ἐφθημιμερὲς hexametri alicuius dactylici agnoscimus ex didactico ut uidetur eoque geographico carmine; at scimus hoc metro scriptam esse a P. Varrone Atacino Chorographiam s. Cosmographiam, cuius fragmenta collegit Wüllnerus de P. Terentii Varronis Atacini uita et scriptis. Monast. 1829. 4. p. 21–35. huic uero libro, cum nunquam de Cincio poeta aliquid tradatur memoriae, multo melius fragmentum nostrum conuenit et iam uides post 'ait' facillime litteras 'ata' omitti potuisse nostroque loco legendum esse *Atacinus*. solo enim hoc nomine poetam esse nominatum uix est quod dubites, quamuis disertum exemplum proferre non possim: nam apud Charis. I. p. 33. L. p. 45. P., Priscian. t. I. p. 327. Kr. p. 759. P., ubi post laudationem aliquot Varronis scriptorum legitur 'Atacinus quoque' [in hoc 'quoque' apud Priscianum loco Charisiano inspecto uix temporis aliquam inuenias notationem cum Merkelio prolus. ad Ibin in ed. Trist. Ouid. p. 355.], Varronis nomen ex praecedente supplendum est, quamuis ex hoc loco et ex Sidonio Apoll. epp. IV. 3. ubi 'Var-

deprauationis luculentissima praeter primum Merkelii exemplum et l. Victorinianum iam allatum inuenio apud Ciceronem in or. p. Sulla c. XX. §. 56. ubi et Siccius et Cincius legebatur pro Sittius, apud Fulgentium s. u. silicernios ubi cod. Berol. s. x. Cinctius exhibet, ['Cintius G1 (s. x.) voss. B1'

---

rones uel Atacinus uel Terentius' laudantur, id saltem colligi posse uideatur, apud Reatinum nomine uel cognomine, apud nostrum agnomine ex patria orto ad distinguendum utrumque scriptores uti solitos esse. si uero hoc non admittendum uideatur, librarii oculos ab 'ait' ad 'ata' aberrantes, Varronis nomen interiectum neglexisse, ut scriptum fuerit 'ut ecce *ait* Varro *Ata*cinus', haud improbabile esse existimo. Atacinum autem Varronem Consentio haud ignotum fuisse ex ingeniosissima Crameri obseruatione ad librum Cons. de barbarismis et metaplasmis p. 9. deducas, ubi ad uerba 'episynaliphe est conglutinatio duarum [sc. syllabarum] in unam facta ut cum diceret Focton pro Fo, eton' haec annotat 'scribo Phaethon et Phaëthon, intelligere enim uidetur quem Fabius I. 5. [§. 18.] retulit uersum P. Varronis 'cum te flagranti deiectum fulmine Phaethon'.' sed cum idem uersus, quod sicuti Crameriana illa addas fragm. Wüllneriano ex Argonauticis quinto, auctoris nomine non laudato apud Mar. Vict. p. 2510. legatur, [ubi 'deiecit' exhibetur pro 'deiectum'] idemque exemplum proferatura Donato III. 4. 2. p. 1772. P. p. 30. Lind. (cf. Schneider lat. Elementarlehre I. p. 50., qui l. Heins. ad Ou. Met. I. 751. Heus. ad Cic. de off. III. 25. 1.) ex aliis quoque grammaticis exemplum suum desumere potuisse Consentium haud est quod infitias eam. — chorographiae uero partem si certo sciremus fuisse Europam istam in glossa aliqua Festi, quam in Pomponii Laeti schedis fuisse testatur Augustinus, Vrsinus autem in apographo suo non inuenit (p. 381. ed. Müll. coll. praef. p. VII.), laudatam, id quod Ruhnkenio auctore statuunt Wüllnerus et Meyerus (Anthol. Lat. t. I. p. 35. annotationum), huic assignare fragmentum nostrum non dubitarem: at cum et glossae huius, ex codicis frustulis misere ut uidetur laceratis seruatae, 'ambigua et sublesta' sit fides ipsaque uerba Varroniana ibi seruata 'tutum sub sede fuissent' ad carmen aliquod de Iouis et Europae amore haud minore sane iure referri posse uideantur, quam ad carmen chorographicum, haec res in medio relinquenda est: in uniuersum uero Varronis Atacini fragmentum hoc loco recte me agnouisse persuasum mihi habeo.

ed. nou. Gerlachii et Rothii p. 390.], apud Liuium VII. 3. et XXI. 38., ubi uarias nominis corruptelas notat Drakenborch, et imprimis apud Tacit. Ann. XI. 5., ubi legem Cinciam codd. uel Ciciam nominant uel Titiam et XV. 25. ubi Cincio (ita enim legendum uidetur non Cestio) deprauatum in Cintio, Citio uel Citio (nam de l. ms. Florent. dubitatur), Ticio. at si accurate comparamus tria fragmenta a Macrobio allata, quae de Aprilis, Maii, Iunii nomine agunt, cum Lydianis, uix est quod moneam, horum prius arctissime cohaerere cum ea, quam primo loco ex Macrobio posuimus, de mense Aprili disputatione, alterum uero quod de Mercedonii et Nouembris nominibus agat prorsus eiusdem esse argumenti atque omnino ad res ceteras, in libro de fastis a Cincio tractatas ita pertinere, ut eidem libro sit assignandum, ita ut Lydo potius incuriosius 'de fastis' 'περὶ ἑορτῶν' uertenti error sit tribuendus. iam igitur si Cincii de fastis, non de feriis, librum a Lydo memoratum esse contendimus, summa eius concidit disputationis, qua quae ex Titii de feriis libro proferuntur a Macrobio, nimirum nundinarum dies non inter ferias eum rettulisse sed sollemnes tantum uocasse (37), ascribuntur Cincio. quae inde quoque paullulum infirmatur quod edd. quas contuli ueteres omnes ex bibliotheca regia (Brix. 1485. Ven. 1492. Riu. 1513. Paris 1515. Ascens. 1519. Colon.

(37) Quae post Titii h. l. laudantur Iulii Modesti uerba sicuti quae de Angeronia I. 10. et ap. Festum s. u. regifugium p. 278. Müll. ex probabili Vrsini coniectura eiusdem proferuntur fragmenta ea recte coniicit Osannus Beiträge zur griech. und röm. Litteraturgeschichte t. II. p. 329. n. 8. ex eius libro apud Macrob. Sat. I. 4. l. esse desumpta, qui tamen inscriptus fuit 'de feriis' non 'de feriis Saturnaliorum' quemadmodum u. dss. inscriptione et uerbis Iulii loco Macrobii obiter inspecto confusis eum nominat.

1521. Paris 1585.) uno consensu h. l. non Titius legant, quod nomen facilius potuerit commutari cum Cincius, sed Titus. fragmenta porro cetera, quibus nouum locum natalem eodem modo assignaturus est uir amicissimus, omnia spectant ad sacra: quae etsi Cincius in libro de uerbis priscis neque potuit negligere neque neglexit, sicuti docent fragmenta, haud ita tamen ibi praeualent, ut non mirum uideatur omnia haec eandem prae se ferre speciem: rettulerim ea potius, cum ex C. Titii orationibus ea desumpta non esse nemo non uideat, ad eum, qui apud Macrobium III. 11. Tertius (ubi praenomen Publii ex edd. uett. addendum est) perperam nominari mihi uidetur, de ritu sacrorum multa disserens quaestionemque instituens de loco Vergiliano Aen. I. 740., unde, cum tum post Aeneïdos et ante Verriani de uerborum significatione operis editionem scripsisset, tempus eius limitibus satis angustis esset circumscriptum. quae coniectura si haud satis uidebitur probabilis, Titii quidem aetatem non tam accurate definire ualebimus, ipsam uero grammatici huius personam a Cincio absorberi non patiemur.

Quod addiderunt denique libro Cinciano de fastis fragmentum Krausius l. l. p. 76., qui Lydiana omisit, et Liebaldtius l. l. p. 13., uetustiores sequentes collectiones ex Festo s. u. regifugium p. 278. (cf. p. 402 sq.) Müll. p. 230. Lind. id iure omittere nobis uidemur, unde etiam quod inde disputat Krausius p. 70 sq., irritum fit sicuti ea quam olim protulerunt quaestio num de fastis an fastorum, sicuti l. l. scripserat Vrsinus, liber hicce Cincianus sit inscribendus. — quae de fragmento apud Liuium VII. 3. seruato, quod haud sine aliqua probabilitatis specie referre huc possis, sentiamus, u. supra p. 19.

II. De comitiis liber.

6. Festus s. u. patricios p. 209. Lind. p. 241. Müll. Patricios Cincius ait in libro de comitiis eos appellari solitos, qui nunc ingenui uocentur.

Scaliger ad h. l. (p. 601. ap. Lind.) laudat Liuium X. 8. de ipsa hac re adi Niebuhrium h. R. t. I. p. 346., qui ex Pauli Diaconi epitome locum desumptum putat, Huschkium l. l. p. 68. et p. 538., Goettlingium l. l. p. 68. glossae a Gothofredo (ap. Lind. l. l.) allatae 'patricius εὐπατρίδης, αὐτόχθων, εὐγενὴς' et 'patricii πρόγονοι' ad similes autochthonum Atticorum rationes comparandas nos deducunt, expositas a Wachsmuthio hellen. Alterthumskunde I. 1. p. 321 sq. coll. p. 238 sq. Ianus quoque Patricius per αὐτόχθονα explicatur a Lydo, Labeonis sententia proferente, de menss. IV. 1. p. 51. Bekk. cf. Klausen l. l. p. 715. n. 1315. v.

III. De consvlvm potestate liber.

7. Festus s. u. praetor p. 208 sq. Lind. p. 241. Müll. Praetor ad portam salutatur [h]is qui in prouincia[m] pro praetore aut proconsule exit: cuius rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem: 'Albanus [os] rerum potitos usque ad Tullum regem: Alba deinde diruta usque ad poectum [P. Decium] Murem cos. populos ad capud [t] octentinae [Ferentinae], quod est sub monte Albano consulere solitos et imperium communi consilio administrare. itaque quo anno Romanos imprs [i. e. imperatores] ad exercitum mittere oporteret iussu nominis Latini complures nostros in Capitolio a sole oriente auspicis operam dare solitos. ubi aues addixissent, militem illum, qui a communi La-

tio missus esset, illum, quem aues addixerant, praetorem salutare solitum, qui eam prouinciam optineret praetoris nomine.'

cos.] eos Vrs., coss. ex uetere cod. ut aiunt Dacerius et Dirksenius, fragmm. uett. ICtor. p. 35. n. 11., qui unde hanc lectionem in cod. extare cognouerint, equidem nescio: tu cf. Lorenz de dict. lat. et mun. p. 28 sq. n. 95., qui ibidem de toto loco agit: u. praeterea Niebuhrium t. II. p. 31. 35 sq. 45 sq., ubi Cincium eo nomine ait reprehendendum, (ni siue Festus siue ipse Verrius in excerpendo eo peccarint, id quod probabilius ipsi uidetur,) quod neque id tempus quo Latium regi et primis coss. fuerit subiectum exceperit neque id, quo eae quae remanserint urbes in Romanorum se dederint tutelam cf. quoque t. III. p. 103 sq. — semper tamen apud Nieb. reminiscaris, de uetere isto Cincio Alimento sermonem eum facere, — adde denique Walterum l. l. p. 63 sq., Goettlingium p. 42., Rubinonem Untersuchungen über röm. Verfassung und Geschichte I. 1. p. 93., ubi de modo auspiciorum, de quibus ingeniosissime u. ille dss. disputauit, agitur.

IV. De officio ICti libri mininvm dvo.

a. ex libro secvndo.

8. Festus s. u. nu[n]cupata pecunia p. 182. L. p. 173. M. Nu[n]cupata pecunia est ut ait Cincius in L. II. de officio iurisconsulti nomina[ta], certa, nominibus propriis pronuntiata 'cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupasset [it] ita ius esto': ita [id est] uti nominarit locutusue erit, ita ius esto. uota nuncupata dicuntur, quae consules, praetores, cum in prouinciam proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas praesentibus multis referuntur. at Santra etc.

'cum nexum] uerba esse XII. tabb. intelligitur clarissime ex Ciceron. de off. III. 16. de orat. I. 57. cf. Dirksen de XII. tabb. p. 397.' Müller. — Num uerba inde a uota nuncupata Cincio quoque adscribenda sint, pro certo non affirmauerim.

9. Festus s. u. [Sanates] p. 252. L. p. 321. M.

[Sanates quasi sana-]
ti appella[ti, id est sanatae mentis - -]
- - - - - - - (6 lin.) - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - [Hinc]
in XII.: 'Nex[i solutique, ac]
forti, sanati[sque idem ius esto',]
id est bonor[um et qui defecerant sociorum. sunt]
qui et infe[riores dici putant colonias,]
quae sunt [deductae in Pris-]
cos Latinos, [quas Tarquinius rex in-]
egerit secundum [mare . . . . in-]
fra Romam in c[iuitates Latinorum]
eosque sanat[is, quod Priscus]
praeter opinio[nem eos debellauis-]
set, sanauisse[tque ac cum iis pa-]
cisci potuisset, no[minatos esse, ut ait]
Cincius l. II. de [officio iuriscon-]
sulti. - -

Sic Müllerus, apud quem et Vrsiniana uide supplementa a Lindemanno accepta et Scaligeriana p. 409 sq., ipsius Festi sub eodem lemmate p. 348. M. p. 267. L. articulo imprimis usus, laceratam Festi columnam restituit, ipse addens, quae inseruirent explicationi cf. Goettlingium l. l. p. 130 sq. 317., qui uerbis XII. tabb. hic allatis (tab. I. fragm. 5. ap. Dirksenium

de xii. tabb. p. 164-167. cf. p. 123.). clientium et plebeiorum iura putat aequari.

b. EX LIBRO INCERTO.

10. Festus s. u. subici p. 265. L. p. 347. M.

Subici ar[ies dicitur, qui pro occiso datur,] quod fit, (ut ait Cincius [in libro .. de officio iuris-] consulti) exemplo At[heniensium, apud quos] expiandi gratia aries [inigitur ab eo, qui inuitus sce-] lus admisit, poenae p[endendae loco].

Ad h. l. explicandum praeter ea, quae attulit Müllerus, cf. Huschkium in Seru. Tull. p. 275. et imprimis Osenbrüggenium in docta de paricidio uett. Romm. commentatione p. 18 sqq. inserta quoque studiis philologicis Kiloniensibus 1841. p. 210-271.

qui pro occiso datur] "qui agitur ut caedatur' suppl. Vrs. cum Scal., auctoritatem secutus inferioris loci [s. u. subigere arietem p. 351. M.], quo Festus antiquam iuris formulam ab agendo deducit; sed hic quidem rectius subici scriptum est' Müll., cui adde illam esse Antistii Labeonis sententiam, hic uero Cincianam proferri. — in libro .. de off. ICti] h. l., quod non significauit Müllerus, cum plures huius operis libros fuisse sciamus, notam aliquam numeralem excidisse notandum est.

Ad eundem librum pertinuerit fortasse Cincii fragmentum a Festo s. u. uindiciae seruatum, quod tamen, quia pro certo hoc efficere non ualemus, infra collocauimus n. 32.* inter fragmenta, quae ad l. de uerb. pr. pertinuisse uidentur.

V. Mystagogicon libri minimvm dvo.

11. Festus s. u. trientem p. 275. L. p. 363. M.

Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Ioui donum scripsit T. Quinctius Dict[ator], quom per nouem dies totidem urbes et decimam Praeneste cepisset. id significare ait Cincius in Mystagogicon L. II. duas libras pondo et trientem; qua consuetudine hodieque utimur etc.

decimam] 'deditione' ex Liuio VI. 29. coni. Vrs., merito haud nactus Odofredi Mülleri assensum. — quae uero contra Niebuhrium hist. R. t. II. p. 661 sq. ex uerbis dedicationis a Liuio l. l. seruatis tres uersus Saturnios eruentem monuit idem uir summus, nempe ex Festo intelligi, hoc ipsum fuisse in titulo, quam ob causam coronam, quae trientem tertium pondo haberet, uouisset, uerbo enim 'scripsit' tabellam triumphalem significari manifestum esse, nihil efficere mihi uidentur, nisi id quod ipse iam Niebuhrius monuit titulum a Liuio non integrum enarrari: ex Festo tamen cum aliqua ueri specie uix ceteros uersus restituas.

VI. De re militari libri minimvm sex.

a. ex libro tertio.

12. Gellius Noct. Attic. lib. XVI. cap. 4.

Cincius in libro tertio de re militari fecialem populi Romani bellum indicentem hostibus telumque in agrum eorum iacientem his uerbis uti scripsit: 'quod populus Hermundulus hominesque populi Hermunduli aduersus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque quodque populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum iussit, ob eam rem ego populusque Romanus populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum dico facioque'.

Senatus priscis temporibus primas in bellis indicendis partes tenentis nullam mentionem hac in formula factam esse

monet Rubino l. l. p. 293. n. 1., uerborum in ea exaggerationem notat Osenbrüggen de iure belli et pacis Romanorum p. 31. — de Hermundulis infra sermonem iniiciemus, 'dico' sub finem ll. mss. auctoritatem secutus scripsi pro ug. 'indico'.

b. EX LIBRO QVINTO.

13. Gellius N. A. l. l.
Item in libro eiusdem Cincii de re militari quinto ita scriptum est: quum delectus antiquitus fieret et milites scriberentur, in iusiurandum eos tribunus militaris adigebat in uerba haec '[in] magistratu C. Laelii C. filii consulis, L. Cornelii P. filii consulis in exercitu decemque milia passuum prope furtum non facies dolo malo solus neque cum pluribus pluris nummi argentei in dies singulos extraque hastam hastile ligna ... pabulum utrem follem faculam. Si quid ibi inueneris sustulerisue quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit uti tu ad C. Laelium C. filium consulem L. ue Cornelium P. filium consulem siue quem ad utrum eorum ius erit proferes aut profitebere in triduo proximo quicquid inueneris sustulerisue sine dolo malo aut domino suo cuium id censebis esse reddes uti quod rectum factum esse uoles.' militibus autem scriptis dies praefiniebatur quo die adessent et [ut] citanti consuli responderent. deinde ita concipiebatur iusiurandum ut adessent his additis exceptionibus: 'nisi harumce quae causa erit: funus familiare feriaeue denicales, quae non eius rei causa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus auspiciumue quod sine piaculo praeterire non liceat sacrificiumue anniuersarium quod recte fieri non posset nisi ipsus eo die ibi sit, uis hostisue status condictusue dies cum hoste. si cui eorum harumce

quae causa erit tum se postridie quam per eas causas licebit eo die uenturum adiuturumque eum, qui eum pagum uicum oppidumue delegerit.'

Verba inde a militibus in ed. Gronouiana perperam Gellio attribui iam monuit Dirksenius u. ill. in fragmm. ICtorum R. p. 39. — de iureiurando cf. Creuzerum Abriss p. 353 sq. ed. alt. quaeque de praeda re publica P. R. inde disputat Osenbrüggen l. l. p. 61.; de exceptionibus cf. eundem Creuzerum p. 350. mentionem iniicientem cf. quoque l. 3. §. 7. D. de re mil. (XLIX. 16.) similesque exceptiones in XII. tabb. iudici, arbitro, reo datas u. tab. II. fragm. 2. apud Dirksenium de XII. tabb. p. 191-208. ([38]), qui ad nostrum l. respicit p. 194 sq. — [in] magistratu] cum codd. permulti praepositionem omittant equidem Lione praeeunte et eam et in sqq. [ut] uncis inclusi. — ligna ... pabulum] a nonnullis ll. mss. 'ligna' omittitur; pro h. u. legimus in iisdem codd. et edd. uett. popabulum, pompabulum, pombabulum, unde fecere napum pabulum; potum pabulum; pomum pabulum; poma pabulum; de quibus lectionibus certum iudicium ferre non ausim: equidem l. Taciti Ann. I. 35. collato de 'materia' h. l. inserenda cogitaui, quamuis litterarum ductus parum huic coniecturae fauere fatear. fortasse nihil deest.

14. Gellius ibidem.

Item in eodem libro uerba haec sunt: 'miles quum die qui praedictus erat aberat neque excusatus erat, infrequens [dabatur]'.

infrequens dabatur] Müllerus coll. P. D. p. 112. s. u. infrequens et gloss. Placid. p. 477. optimae coni. I. F. Gronouii

([38]) ll. ibi ll. adde Festum s. u. status dies monente Müllero p. 314. ed. suae.

'notabatur' accedere uidetur; dicebatur habent Sciopp. et Lips., damnabatur coni. Falster, uenumdabatur Goettling. h. reip. R. p. 115. n. 7., ubi sicuti n. 5. pro XVI. 4. l. noster XIV. 4. citatur: at uix equidem hanc coni. probatum iri a uu. dd. putauerim.

c. EX LIBRO SEXTO.

15. Gellius ibidem.

Item in libro sexto hoc scriptum est: 'alae dictae exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra sinistraque tanquam alae in auium corporibus locabantur. in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem'.

Locus ex duobus libri Cinciani sexti locis a Gellio uidetur consarcinatus; de alis cf. ll. Seruianos a Lione h. ad l. ll.; quae de legione disputat Cincius ea ad bellorum Punicorum tempora, cum Alimentum huius libri censeret auctorem, rettulit Creuzerus l. l. p. 366.; de duabus cuiusuis manipuli centuriis u. Goettling l. l. p. 267. cf. quoque Huschkium p. 471.

VII. De verbis priscis liber vt videtvr singvlaris.

16. Festus s. u. scenam p. 256. L. p. 330. M.

Scenam genus [fuisse ferri] manifestum est sed futurum [l. utrum] securis an dolabra sit ambigitur. quam Cincius in libro qui est *ei* de uerbis priscis dolabram ait esse pontificiam. Liuius in Lydio 'corruit quasi ictus scena, haut multo secus'.

cf. eund. p. 251. L. p. 318. M., ubi sub eodem lemmate 'scena (39) ab alis; a quibusdam sacena appellatur, dolabra pontificalis'. — fuisse ferri] cultri suppl. Vrs., ferri M. — futurum] sic cod.: corr. Aug. in mg. Vrs. — qui est *ei*] pro

(39) scena cod. ug. Müll. scaena Vrs. Lind.

ei Aug. in mg. Vrs. Dacerio Mülleroque astipulantibus coni. II. (i. e. secundus), unde duos de uerbis priscis libros allegat Merkelius de obscuris Ouidii Fastorum p. xcviii. datiuus sane iste h. l. uix uidetur conuenire: saepe similiter Festus de librorum inscriptionibus loquitur, nunquam tamen auctoris persona hoc modo apposita, ueluti ut locos nostri similes proferam, Cato in li. qui est de re militari laudatur p. 214. M., Gracchus in oratione, quae est in P. Popillium posteriore p. 150., C. Gracchus in ea, quae est de lege Minucia p. 201. etc. at coniectura Augustini uix uidetur admittenda, tribus enim locis, ubi praeterea expressis uerbis Cincii de uerbis priscis opus laudatur, apud Festum s. u. peremere, reconductae [reconduit], rodus nusquam numerum aliquem libri indicatum legimus, immo s. u. reconduit Cincius in 'libro' de u. pr. laudatur ([40]). ita cum h. l. numeri nota coniectura tantum eaque non satis certa sit illata, equidem de operis diuisione inde nihil collegerim. illud 'ei' ita corrigendum olim in animum mihi induxeram, ut pro 'libro qui est ei de uerbis priscis' scribendum proponerem 'libro quaestionum de uerb. pr.': sed cum haec inscriptio in ceteris locis nusquam exhiberetur, haec irrita esse intellexi et nunc iam 'ei' delendum esse duco, ex male repetito a librario u. 'libro' per compendium li., sicuti saepissime apud Festum, scripto ortum.

17. Festus s. u. peremere p. 199. L. p. 214. M. Peremere Cincius in lib. de uerbis priscis ait significare idem quod prohibere: at Cato in li. qui est de re militari pro uiciare usus est etc.

([40]) s. u. quoque peremere 'in lib.' eodem modo est interpretandum.

De u. peremere Lindemannus in ann. p. 568. laudat Doederleinium in synonym. Lat. t. III. p. 186. not.

18. Festus s. u. reconductae (reconduit) p. 229. L. p. 277. M. Reconductae (reconduit, re)fecerit et condere urbem facere, aedificare ut Cincius testatur in libro de uerbis priscis.

De h. l. lectione cf. annotationem Mülleri, qui recte mihi cum Vrs. ex 'ae' uoc. 'reconductae' et sq. u. 'fecerit' facere uidetur 'refecerit', sicuti quoque coni. eius, pro 'et' h. l. 'ut' legendum esse perquam uidetur probabilis.

19. Festus s. u. rodus p. 223. L. p. 265. M. Rodus uel raudus significat rem rudem et imperfectam etc. Cincius de uerbis priscis sic ait 'quemadmodum omnis fere materia non deformata rudis appellatur sicut uestimentum rude non perpolitum: sic aes infectum rudusculum. apud aedem Apollinis aes conflatum iacuit, id adrudus appellabant, ... in aestimatione censoria aes infectum rudus appellatur'. rudiari ab eodem dicuntur quod saga noua poliunt.

Similia Varro de l. l. V. §. 163., unde probabili coni. eidem uu. dd. supplementis quae sub u. 'rausculana porta' tradiderat Festus p. 274. M. sunt assignata. — post 'appellabant' duorum fere uocc. in cod. spatium. — rudiari cod. Müll. rudiarii Vrs. Lind.

Eidem de uerbis priscis libro si ceteras easque his simillimas uerborum priscorum quae sub Cincii apud Festum nomine proferuntur explicationes assigno, haud magnopere a uero me aberraturum esse confido, quamobrem h. in l. eas collocaui, singulis tamen asteriscis notatas, ut ab iis quas inde desumptas esse ipso Festi comperimus testimonio facilius possent discerni.

*20. Festus s. u. [T]uditantes p. 269. L. p. 352. M.

[T]uditantes, tundentes, [negotium ag]entes significare ait Cincius [de uerbis priscis]. [En]nius - - - - et Lucretius ...

Sic Müllerus, nisi quod ubi ego libri Cinciani inscriptionem ausus sum reponere ille lacunam statuit. Vrsinus suppleuerat 'tuditantes, tundentes, negotium tundentes significare ait C. id est agentes', quod iure mutauit Müll. magis fortasse, Pauli lemmate 'tuditantes significat negotium tundentes id est agentes', in usum uocato, Festi manum restituas legendo 'tuditantes, tundentes [negotium, i. e. ag]entes'. Sed haec perparui sunt momenti quaeque uix ad liquidum perducas.

*21. Pauli epit. Festi s. u. gentilis p. 70. L. p. 94. M. Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus et is qui simili nomine appellatur ut ait Cincius 'gentiles mihi sunt qui meo nomine appellantur'.

*22. Festus s. u. [natio] p. 178. L. p. 166. M.

[Natio in eadem terra hominum genu]s natum. Cin-
[cius genus hominum qui non aliunde uener]unt set ibi
[nati sunt significari ait, idemque n]ationem ait
[non tantum uniuersum de om]nibus set e-
[tiam de singularibus hominib]us seiuncti
[m dici solere. Sinnius autem Capi]to etc.

cf. epit. Pauli p. 107. L. p. 167. M.: 'natio genus hominum qui non aliunde uenerunt sed ibi nati sunt' etc. unde Cinciana sententia bene est restituta; minus feliciter ante Müllerianum, quod exhibuimus, initii huius articuli supplementum 'nationem item apud antiquos natum' Vrs. dederat et 'nationem et natum' Scalig.

*23. Festus s. u. naccae p. 179. L. p. 166. M.
Naccae appellantur uulgo fullones ut ait Curiatius quod nauci non sint id quod est nullius pretii. idem sentit et Cincius.

Atellanarum fortasse h. l. Cincius exposuit locos: in his enim fabulis spurcissimi isti fullones saepissime producebantur, ita ut inscriptionem quoque nonnullis praeberent. conf. Munk de fabb. Atell. p. 45 sq. et fragmm. fabb. Atell. ibi collecta passim.

*24. Festus ibidem s. u. naucum.
Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius quod in oleae nucis quod intus sit. Aelius Stilo ... glossematorum autem scriptores ......

De hoc uoc. cf. quoque Prisc. p. 682. P. t. I. p. 226. Kr. et Charisium p. 185. P. p. 122. L. — Cincii uerba corrupta secundum codicis lectionem descripsimus: scribendum uidetur cum Müllero 'quod oleae nucisque intus sit'. 'quod in olea nucique intus sit' legi iussit Augustinus, 'quod in oleae nuce i. s.' uel 'in olea et nuce quod i. s.' Dacerius (apud Lindemannum p. 526.).

*25. Festus s. u. nuptias p. 181. L. p. 170. M.
Nuptias dictas esse ait Santra ... Cornificius ... Curiatius ... Aelius et Cincius quia flammeo caput nubentis obuoluatur, quod antiqui obnubere uocarint: ob quam causam legem quoque Praenestinam iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset, quod est obuoluere.

Aelius] Stilonem intelligi, quocum saepius apud Festum coniungitur Cincius, probabilis est van Heusdii de Aelio Stilone p. 78. opinio, ad quam ingeniosa coniectura perduxit quoque Merkelium l. c. p. cv. hausit ex Cincio uel Ae-

lio fortasse Caper de orthographia p. 2245. P. 'uir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput genasque' unde iterum hortulos suos irrigarunt Beda p. 2340. P. et Anonymus p. 2793. P. cf. quoque de ipsa re Paulum D. p.112. L. p.184. M. 'obnubit, caput operit; unde et nuptiae dictae a capitis opertione', ubi in respondente Festi, quod interiit, lemmate certe Cincii quoque facta erat mentio; eandem fere sententiam profert Varro de l. l. V. §. 72. M. — legem Praenestinam] 'parenstam' quod cod. exhibet, corruptum esse nemo non uidet: coni. Aug. 'paricam' ex corrupto P. D. articulo parrici[di] quaestores ([41]) p. 121. L. p. 221. M. iure reiecit Dirksenius fragmm. ICtor. R. p. 41. cui non omnino Scaligeri ap. Lind. p. 532 sq. 'parens.ta. III.' i. e. lex, cuius principium u. 'parens' in tab. III. displicuisse uidetur coni., inuentum mirificum dicta Müllero ad nostrum l.: funestam coni. Vrs.: equidem ex lege Numae 'Postumia' apud Plin. H. N. XVI. 12., quamuis ne illa quidem satis certa uideretur, loco nostro medelam aliquam afferri posse credidi: at nunc prorsus mihi arridet ingeniosissima Bergkii coniectura 'Praenestinam' (u. H. A. L. Z. 1842. N. 105. p. 232.), cui inter ipsa Festi uerba locum concedere non dubitaui.

*26. Festus s. u. [noualem a]grum p. 183. L. p. 174. M.

[Noualem a]grum Aelius
[Stilo et .... Graecum uocabulum] aiunt esse
etc. — (lin. duae) — sed C]incius eum esse, ubi
[terra sine cultura ad nouam] sementem sit relic-
[ta].

([41]) Etiamsi lectio haec sana esset, potius de substantiuo paricium cf. Osenbrüggen das altröm. Paricidium p. 43. (Kieler philol. Studien p. 253.), quam de adiectiuo paricus cogitandum uideretur.

cf. P. D. p. 109. L. p. 175. M. 'noualis ager nouae relictus sementi', unde scite supplementum hausit Müll.; 'ubi glaeba proscissa ad nouam sem. sit relicta' suppl. Vrsinus. — Aelius [Stilo et ....]] Gallus et Opilius item Aurelius suppl. Vrs., Gallum van Heusdius quoque uidetur intellexisse, cum ne inter dubiae quidem auctoritatis Praeconini fragmenta locum nostrum posuerit: at equidem ob frequentem cum Cincio coniunctionem Stilonem Mülleri auctoritatem secutus intellexerim. ob eandem nominum coniunctionem locum a Müllero Stilonis socio alicui relictum Cloatii nomine equidem expleuerim cf. quae de Stilonis et Cloatii nominibus una saepe prolatis monet van Heusde l. l. p. 76.: quod ille notat, quoties coniunctim laudentur referri eorum sententiam ad uocabula quae ad sacra pertineant, coni. nostram non refutat, cum haud improbabile sit, agri noualis in libris ritualibus mentionem aliquam esse iniectam. de ipso uoc. Cincianam opinionem profert quoque Varro de l. l. V. §. 39. p. 39. Sp. et VI. §. 59. p. 237. Sp. cf. Prob. ad Verg. Ge. I. 47.

*27. Festus s. u. Obstitum p. 192. L. p. 193. M.

Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt uiolatum attactumque de caelo. Cincius quom qui deo deeque (l. deaeue) obstiterit id est qui uiderit quod uideri nefas esset.

'deaeue' correxit Huschkius, quem sequitur Müllerus, praeterea cod. lectionem contra uarias uu. dd. coniecturas scite defendens. — Stilonis de obstito rationem sequitur quem ille l. Cicero de legg. II. 9. §. 21.

*28. Festus s. u. [praecidanea porca] p. 200 sq. L. p. 218. M.

[Praecidanea porca produ]cta syllaba
[secunda pronuncianda est. ea enim, quod] ut ait L. Cin-
[cius, antequam nouam frugem praecidant, fa]miliae pur-

[gandae causa immolatur, prae]cidanea dicitur. [alii etc.

Sic ingeniosissime locum restituit Odofredus Müllerus, cuius lemma praecedens 'prospera [nomina obseruabantur in scribenda legio]ne declina[ta a faustis rebus]' cum nostro l. coniunctim inuenies ap. Vrs. hoc modo 'prospera [quaedam nomina usurpabant antiqui in] e declinata [ut praefiscine extrema produ]cta syllaba [uidelicet ut occurrerent fascino] ut ait L. Cin[cius; quod etiam ferri eonsueuit in fa]miliae pur[gandae sacro. porca prae]cidanea' etc. sed haec ex male intellecta Scaligeri annotatione (ap. Lindem. p. 571 sq.) orta esse iam monuit Müllerus p. 392., qui p. 219. in ann. suum explicat supplementum. — L. Cin[cius]] L. Cinc. protulit h. l. ex schedis Laeti Gothofredus l. l. auctt. p. 139. (cum ipse p. 384. exhibeat Cin.) eumque sequitur Dirksenius fragmm. ICtor. R. p. 42.

*29. Festus s. u. refriua fab(r)a p. 229. L. p. 277. M. Refriua fabra (faba) dicitur uia (ut) ait Cincius quoque, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspici causa quasi reuocant fruges ut domum datantes teuirtico ad rem diuinam faciendam. Aelius dubitat an ea sit quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur, quod est torreatur. sed opinionem Cinci adiuuat, quod in sacrificiis publicis cum puls fabata dis datur nominatur refriua.

reuocant fruges ut domum datantes teuirtico] sic cod.; uarias uu. dd. couii. u. ap. Müllerum in ann. et in suppl. ann. p. 402. (cf. p. 644. Lind.); ipse proposuit: 'reuocans fruges ut domum ditent: ea est uirtute'; qua coni. etsi ingeniosissima certa medela loco nondum uidetur allata. — Aelius]

Stiloni post Heimbachium uindicant van Heusde l. l. p. 78. Merkel l. l. p. cv.

*30. Festus s. u. Salias uirgines p. 255. L. p. 329. M. Salias uirgines Cincius ait esse conducticias quae ad Salios adhibeantur apicibus paludatas, quas Aelius Stilo scribsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.

De hoc l. uide praeter Hartungium de rel. Rom. t. II. p. 166. Ambroschium l. l. p. 8. n. 32., p. 11., p. 14. n. 56. cf. quoque Seidel de saltationibus sacris uett. Rom. (Berol. 1826. 8.) p. 26 sq. Klausen Aeneas p. 933.

*31. Festus s. u. sinistrae aues p. 260. L. p. 339. M. Sinistrae aues sinistrumque est (l. siue) sinistimum auspicium i. quod sinat fieri. Varro l. v. epistolicarum quaestionum ait: 'a deorum sede cum in meridiem spectes ad sinistra (l. quod ad sinistram) sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes, factum arbitror ut sinistra meliora auspicia quam dextera esse existimentur.' idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius.

est] 'et' corr. Vrs., 'siue' legi iubet M. qui in sqq. recte uidit ante 'ad sinistra[m]' praepositionem causalem esse addendam. de ipsa re cf. eundem, sententiam a Niebuhrio [h. R. t. I. p. 145. t. II. p. 702.] et se ipso [Etr. t. II. p. 126.] de septentrione deorum sede prolatam contra Hartungium defendentem, rel. Rom. I. p. 120 sq., qui cum Vrs. ut opinionem suam possit sustinere 'a deorum sede' mutat in 'ab auspiciorum sede.'

*32. Festus s. u. uindiciae p. 279. L. p. 376. M. Vindiciae appellantur res eae, de quibus controuersia: quod potius dicitur ius, quia fit inter eos qui contendunt. Cato ...

Lucilius ..... de quo uerbo Cincius sic ait: 'uindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant'. at Seru. Sulpicius etc.

dicitur ius quia fit] cum Huschkio et Müllero legendum quod potius *dicitur* uis quam *fit*. — illae] 'glebae corr. Raeuardus in XII. tabb. expl. c. 6., Vrs., quod post illae excidisse credibile est' M., qui monuit Cincii definitionem ea spectare, quae dicis causa fierent, ut res uindicanda imagine quadam declararetur, uelut fundus gleba inde arrepta. ceterum hoc Cincii fragmentum maiore fere iure ad libros de officio ICti referendum uideri supra iam monuimus p. 43.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA.

33. Seruius ad Verg. Aen. l. II. u. 225. t. I. p. 138. ed. Lion. Delubrum dicitur quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur ..... alii, ut Cincius, dicunt delubrum esse locum ante templum ubi aqua currit a diluendo. (sequuntur Varronis et Massurii Sabini sententiae).

cf. Seru. ad Aen. IV. 56. (I. p. 254. L.) et ll. allatos praeterea a Müllero ad P. Diac. s. u. delubrum p. 73. M. (p. 55. L.) et Hartungio de rel. Rom. t. I. p. 144.

34. Seru. ad Verg. Georg. l. I. u. 10. t. II. p. 172. Lion. Faunus, qui dictus est a fando ..... quidam Faunos dictos putant ab eo, quod frugibus faueant. Cincius et Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum appellatum ideoque aedes sacras faunas primo appellatas postea fana dicta et ex eo qui futura praecinerent fanaticos dici.

cf. Prob. ad h. l. et Front. de diff. uocc. p. 277. Nieb., ubi Cincianis similia inuenies. de u. fani uariis etymologiis cf. Müller Etrusker II. p. 138. Hartung de rel. R. t. I. p. 143.

cf. p. 137., deque nostro imprimis loco u. Merkelium l. l. p. ccII sq., qui Cassium, iure opinor, intelligit Heminam, qua de re dubitauerat Krausius l. saepe l. p. 167. n. 3.: sed Cassium Heminam huiusmodi res tractasse saepius apud Seruium uidere licet, qua ex re h. quoque l. nil obstat, quominus eum significatum esse statuamus. ceterum et hoc et praecedens fragm. ad librum de uerbis priscis pertinere quis coniiciat: equidem cum minus adhuc certa sit res quam in frustulis Festianis, locum inter illa fragmenta iis concedere dubitaui.

35. Arnobius adu. gentes l. III. c. 38 sq. t. I. p. 131 sqq. Or.

c. 38. Pisonis, Granii, Aelii, Varronis, Cornificii, Manilii de diis Nouensilibus sententiis expositis 'Cincius' inquit 'numina peregrina nouitate ex ipsa appellata pronuntiat: nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim priuatim per familias spargere, partim publice consecrare: ac ne aliquis deorum multitudine aut ignorantia praeteriretur breuitatis et compendii causa uno pariter nomine cunctos Nouensiles inuocari'.

c. 39. sententias has omnes diuersas esse, ita ut ueritatis unius auctores ii qui opinionibus differant haberi non possint monet Arnobius, diuersas inde exempli causa comparans sententias; inter quas legimus, quae huc referenda sunt: 'quod si opinio Cornificii uera est imprudens Cincius inuenitur, qui urbium uictarum deos potestate afficit Nouensilium numinum etc.

Quod fragmentum quomodo ueteres fragmentorum historicorum collectiones secutus ad historiam de Gorgio Leontino, quam inscriptionem Fulgentius uisus est libro alicui Ciunciano tribuere (u. infra), collocare potuerit Krause l. l.

p. 75. [42] equidem non assequor, ipse num ad librum de uerbis priscis pertinuerit dubitans. de diis Nouensilibus ipsis cf. Hartungium de rel. Rom. t. I. p. 94 sq. Huschkium de Seru. Tull. p. 302 sq., qui Cincii probant opinionem, eo potissimum moti quod Nouensides quoque dicebantur teste praeter Mar. Vict. p. 2470. P. Varrone de l. l. V. §. 74. (p. 78 sq. Sp.), qui ad Sabinos eorum refert originem, assensum nactus Goettlingii hist. reip. R. p. 167. u. quoque Müllerum Etrusker t. II. p. 84. coll. p. 129., Schneiderum Lat. Elementarlehre I. p. 256. et 312.

36. Charisii institt. gramm. p. 107. P. lib. I. xxi. 124. p. 76. Lindem. (C. Gr. Lat. Vett. IV. 1.)

Irim pro Iridem, Maro Aeneid. nono [u. 1.]

Irim de coelo misit Saturnia Iuno.

cum constet omnia Graecae figurae nominatiuo singulari is syllaba terminata genitiuo singulari is syllaba crescere, licet Varro et Tullius et Cincius (ut de consortio casuum diximus,) huius Sarapis et huius Isis.

Cincius cod.; edd. Cintius. — Sarapis cod., cum edd. praebeant Serapis. [de utraque scribendi ratione conf. nunc Hildebrandium in ed. Apuleii t. I. p. 1017.] eandem discrepantiam iam annotauerat Lindemannus in loco cum nostro quodammodo cohaerente p. 50. (p. 69. P.): 'Sarapis Sarapidis uolunt grammatici genitiuo casu dici non Sarapis quod omnia nomina Graecae figurae is terminata in genitiuo syllaba crescere debent, ut Iris, Iridis, Isis, Isidis, Hymnis, Hymnidis, Paris, Paridis. sed et cum Latine declinari possint non est

---

([42]) Quod idem h. l. monet Pisonis ex Tertull. de spect. cap. 5. fragm. (p. 147. Krause) male ad Cincium relatum esse, id iam monuerat Longol. l. l. t. II. p. 7.

necesse consuetudinem ratione deformare praesertim cum adsit auctoritas. nam et Varro de uita sua non tantum huius Sarapidis ([43]) declinauit sed et Isis quod paullo est durius; et Virgilius Irin dicit et Parin et Tigrin.'

37. Marius Victorinus ([44]) p. 2468. P. l. I. c. 4. §. 95 sq. p. 25. in Gaisfordii scriptt. Lat. rei. metr.

§. 95. G. Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt a b c d e i k l m n o p q r s t litteras numero XVI, postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIIII.

§. 96. [In comoedia scriptum erat ellum: non recte uos fecistis illum: est enim en illum.] grammatici [an 'Graeci'? Lersch Sprachphil. d. Alten t. III. p. 145.] praeterea Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt, ex quibus Cincius [Cintius cod. Paris.] paucis, inquit, commutatis ut ad linguam nostram peruenirent eas namque Cadmus ex Phoenice in Graeciam unde ad nos Euander transtulerat.

Locos ueterum de Euandro litteras Romanis tradente u. ap. Klausenium l. l. p. 889 sq. p. 1239 sq. — locum uncis inclusum aliunde irrepsisse puto.

FRAGMENTA DVBIAE AVCTORITATIS.

38. Fulgentius de prisco sermone s. u. silicernios p. 560. Merc.

([43]) Equidem cum Putschio, qui exhibet Serapis, loco altero collato ubi huius Sarapis, huius Isis dixisse uidemus Varronem, Sarapis legerim, quod loci sensus poscere uidetur.

([44]) siue C. Marius Victorinus Maximinus si sequeris Osannum Beiträge zur griech. u. röm. Litteraturgesch. t. II. p. 352 sqq.

Silicernios dici uoluerunt senes iam incuruos quasi iam sepulcrorum suorum silices cernentes. unde [et] Cincius Alime[n]tus [in] historia de Gorgia Leontino scribit dicens: 'qui dum iam silicernius finem sui temporis expectaret etsi morti non potuit infirmitatibus tamen insultauit'.

curuos ms. Berol. s. x. idem in sqq.: sepulchrorum — unde et Cinctius Alimetcs (corr. ab eodem manu facta). ['Alimentus B1. voss.' Roth.] in hystoria de Gorgia Leontino — quiadum — mori (idem praebent ceteri codd. at perperam hanc lectionem tueri mihi uidentur Gothofredus, Longolius, Krausius, [Rothius]) — poterit — exsultauit insultauit. [satis largam codd. Fulgentianorum h. l. u. l. nunc exhibet ed. Gerlachii et Rothii p. 390.]. quae de Gorgia h. l. traduntur notissima sunt cf. Foss. de Gorgia Leontino p. 37 sq., ubi nostri loci mentio non fit. cur inter dubiae auctoritatis fragmenta eum collocauerim, infra demonstrare conabor.

39 etc. Fragmenta C. Titii ug. adscripta, quae Cincio tribuit Merkelius (cf. p. 35 sqq.).

Eorum fragmentorum tabulam daturus hic non sum, cum donec meliora docear, uirum amicissimum non recte locos Macrobii et Festi supra laudatos Cincio attribuisse censeam, locum tamen aliquem iis assignaturus, ne ipse nimis sententiae meae uidear fauere.

Iam fragmentis ipsis lectori propositis ad eam unde orsi sumus de auctore horum fragmentorum quaestionem reuertimur.

---

§. 5.

DE AETATE ATQVE AVCTORE HORVM FRAGMENTORVM DISQVISITIO.

Litterarum Romanarum historiam paullo accuratius indaganti magnae eorum quae iam nunc exhibuimus fragmentorum partis auctorem uix esse potuisse L. Cincium Alimentum, bello Punico secundo florentem, pro certo apparebit. si enim sermonis apud Romanos pedestris decursum sequimur, leges regias, libros linteos, annales maximos, augurum et pontificum commentarios, alia eiusmodi cum uel formulas iuris sacri et ciuilis sollemnibus uerbis conceptas uel rerum memorabilium iecunam certisque fere uerbis circumscriptam continuerint narrationem, haud magni sane momenti ad litteras formandas fuisse concedemus. duodecim deinde tabulas ipsorum auctorum seueram imaginem orationis quoque acerbitate sententiarumque discerptarum breuitate repraesentauisse eamque ob rem dum iuris totius continerent fontem ad ipsas litteras ditandas nihil fere contribuisse commode monet Bernhardy u. dss. hist. litt. Rom. p. 76., ita ut Appium demum Claudium Caecum, Pyrrhi aequalem, eodem tempore quo Postumium apud Tarentinos, etiamsi a ueneribus Atticis sermo eius longe abfuerit, Graece tamen locutum esse memoriae proditum est, praeter carmen aliquod et orationis de Pyrrho et actionum libri auctorem ([45]) non solum primum quodam-

([45]) cf. Niebuhrium hist. R. t. III. p. 366 sq. Bernhardy l. l. p. 77.

modo poetam ([46]), sed imprimis litterarum apud Romanos pedestrium quasi patrem nominare debeamus ([47]), haud amplius sexaginta annos ante id tempus, quo Cincius Alimentus iam floruit. qui post Appium laudantur ICti., historici, oratores Cincii iam attingunt aetatem: haud longe igitur haec ab incunabulis prosae, ut ita dicam, orationis abest, ut ne tunc quidem ad artis alicuius fastigium se extulerint, sed rudi atque incompto dicendi genere, quippe qui campum parum excultum colendum sibi sumpserint, omnes etiamtunc usi sint. at quae proposuimus Cincii fragmenta ea genus dicendi simplex quidem prae se ferunt, id quod ipsum poscit argumentum, sed nullo modo obsoletum et antiquitatis sordibus infectum, sicuti annalium isti scriptori conueniret ([48]).

Studiorum deinde apud Romanos ad antiquitates et rem grammaticam pertinentium, quibus fragmentorum nostrorum

---

n.132. Meyer frgmm. orr. R. p.1 sq. [p.1-4. ed. auct. 1842.] Westermann hist. eloq. R. p.32 sq. Müller ann. ad Fest. p.317. (qu. XIV. 21. l.24.)

([46]) Quae enim eo usque extabant carmina uel deorum cultui inseruientia uel ex iocis popularibus orta certi cuiusdam auctoris nomen uix prae se tulerint.

([47]) Ius enim Papirianum (u. Puchta instit. I. p.122 sq. ll. que ll. apud Bernhardium l. l. p.73. et Reinium ius Rom. priu. p.68 sq.) et Flauianum (conf. Rein l. l. p.78. Walter hist. iur. R. p.430 et 191. Rubino l. l. p.225 sqq. n.2. Puchta l. l. p.304-6. Fuss antiqq. Rom. §. 271. h. p.274-276. ed. tert. 1837. Peter Epochen der Verfassungsgesch. der röm. Republ. Lips. 1841. p.90 sq.) quorum illud fabulis est obscuratum, hoc ad ipsum quodammodo Appium uidetur referendum (l. 2. §. 7. D. de O. I.) hic in censum admitti non possunt: utrumque certe legum et formularum et fastorum tantum continebat recensum.

([48]) Monuit h. de re iam Liebaldtius l. l. p.15. quam tamen in Cincii huius fragmentis artem et elegantiam sibi uisus est repperisse, eam nusquam deprehendere me potuisse fateor.

auctorem penitus perque totum eorum ambitum imbutum fuisse primò patet aspectu, Cincii demum historici aetate tenuia apparent uestigia. iuris studium Sex. Aelius, duodecim tabularum interpres ([49]), ad aliquam certe perfectionem euexerat, antiquitatis monumenta haud omnino negligebantur, sicuti ipsum Alimentum operam diligentem iis nauasse uideri monuimus — ni ea ipsa laus, quod tamen minus uidetur probabile, in Cincium iuniorem cadit — sed ipsa studia scholastica nondum uigebant. utramque quidem linguam aetate ista docere coeperunt et Liuius Andronicus et Ennius, sed tantum Graeca interpretando, sua praelegendo (quos uero nonnulli Ennii putarant de litteris syllabisque item de metris libros eos L. Cotta non poetae sed posterioris Ennii esse arguerat u. Suet. de ill. gr. 1.), postquam paullo ante Sp. Caruilius ([50]), Caruilii istius, qui primum a 227. a. C. Romae

---

([49]) Cos. a. 197. a. Chr. n. u. de eo imprimis Pomp. l. 2. §. 7. 38. D. de O. I. et Ciceronem ll. indicatis in onomastici Tulliani t. II. p. 11. cf. Suringar hist. crit. scholiastt. Latt. t. I. p. 36-38.: quod tamen ille ex Festo s. u. [triginta lictoribus] p. 351 sq. M. (olim s. u. [tribunicia rogatione] ante ingeniosum Rubinonis supplementum) tanquam Sex. Aelii ex comm. XII. tabb. profert fragmentum neque Sexti Aelii est neque C. Aelii Galli, cuius libro XII. significat. uerb. quae ad ius pertinent ug. tribuitur, sed L. Aelii ex XII. tabb. commentario, quod Merkelii (l. l. p. CV.) inuentum nunc summa Lachmanni auctoritate licet fulcire (u. Zeitschrift für gesch. Rechtswissenschaft XI. 1. 1842. p. 117.).

([50]) Plut. qu. R. c. 59.: πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος etc. et c. 54.: καὶ τὸ κ πρὸς τὸ γ συγγένειαν ἔχει παρ᾽ αὐτοῖς. ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος. uix inde dubito quin eius nomen lateat apud Isid. origg. I. 4. 12. ubi K litteram Salustius (Saluius, Sallustius) *ludimagister primus* Latinis adiecisse dicitur, unde apud Petr. quoque Diaconum p. 1581. P., qui Isidorum uidetur exscripsisse, idem nomen restituendum erit. cf. quoque Sp.

diuortium fecisse dicitur, libertus, primum aperuit ludum litterarium, cum antea scholae quidem extiterint, sed prima tantum elementa tractata ibi uideantur (conf. van Heusdium l. l. p. 19.). et antiquitatis qnidem indagationem post Cincium Cato imprimis continuauit, cuius aequalis Fuluius Nobilior cos. a. 189. fastos composuit ([51]), eorumque studia Ser. Fabius Pictor de iure pontificio ([52]), Cassius Hemina de censoribus ([53]), Sempronius Tuditanus de magistratibus, alii aliis de rebus huc spectantibus libros componentes excepere, post quos Iunius Gracchanus in libris de potestatibus et in commentariis uarias antiquitatis Romanae partes scite pertractauit. quod tamen ad linguae litterarumque ipsarum attinet studium Crates demum Mallotes ab Attalo Philadelpho Pergami rege, post annum propterea 159. ante nostram aeram i. e. decem minimum annos post Ennii mortem (non sub ipsam Ennii mortem id quod tradit Suet. de ill. gr. c. 2., iure inde a Clintonio ad a. u. 595., fast. Hell. t. III. p. 91. quique eum

---

qui ibi uocatur Carrutium ap. Ter. Scaurum p. 2253. P. coll. Schneidero Elementarlehre I. p. 270 sq.

([51]) cf. Krausium l. l. p. 125–127. add. Merk. ll. p. LXXV.

([52]) Huic enim homini hicce liber assignandus uidetur cf. Krausium l. l. p. 132 sqq. coll. p. 171. Westermannum h. eloq. R. p. 80. n. 14., annotationem Meyeri ad Cic. Brut. cap. XXI. §. 81. (in t. I. p. 1. bibliothecae scriptt. Latinorum consilio God. Bernhardy institutae. Hal. 1838.) dubitante tamen Whittio l. l. §. 5.

([53]) Cuius operis ex libro secundo fragmentum apud Nonium s. u. moliri seruatum inter fragmenta secundi eiusdem Heminae annalium libri collocans Krausius ll. p. 159 sq. iure reprehenditur a Weicherto, uiro doctissimo, de L. Vario et Cassio Parmensi p. 181. peculiare Heminae de censoribus opus iam agnouit van Vaassen animaduu. hist. crit. ad fast. R. sacros fragmm. Trai. ad Rh. 1785. 4. p. 169., qui tamen non debebat discrimen statuere inter ea quae ex annalibus et quae ex historia Heminae afferuntur.

sequitur Fischero ob negligentiam notatus) Romam missus cum per aliquod tempus ob crus fractum Romae degere deberet, plurimas fecit ἀκροάσεις, quae ad prima artis criticae et hermeneuticae studia Romanos uidentur incitauisse, cuius rei post egregiam Maduigii disputationem L. Attium Didascalicon auctorem ([54]) exemplum ponere licet: Lucilium quoque similibus studiis incubuisse fragmenta libri imprimis noni, quorum partem edidit Schmidt (Berol. 1840. 4.) demonstrant. (cf. quoque Maduigium in commentatione cummaxime laudata in opusc. p. 105.). L. demum Aelius Stilo Varronis magister grammaticen una cum Seruio Claudio genero auxit ab omni parte atque instruxit.

Haud equidem negauerim singulorum uerborum iam tunc obsoletorum ex indigitamentis, XII. tabulis, aliis eiusmodi monumentis explicationem Alimenti iam tempore dari potuisse atque extat singulare huius rei de uoc. lessus per Sex. Aelium explicato exemplum ap. Cic. de legg. II. 23. §. 59. sed neque multa eo iam tempore communi intellectui non

([54]) Imprimis de orthographia saepius laudatur Attius ueluti cf. Mar. Victorin. p. 2456. P. p. 8. Gaisf. ubi Liuii et Naeuii mentione certissimum testimonium de ipso poeta nos habere conuincimur u. etiam Varr. de l. l. VII. §. 96. et fragm. I. (p. 592. Sp. p. 264. M.), quod ad eundem pertinere arbitror, Vel. Long. p. 2220., Ter. Scaur. p. 2255. (ubi male post Barthium Aelius corrigit v. Heusde l. l. p. 80.), Quint. I. 7. 14. coll. Schneidero Elementarlehre I. p. 96. — quod Didascalicon libri, sicuti eiusdem Pragmatica et Parerga, uersibus scripti erant trochaicis, id quod probauit nuper quem honoris causa nomino God. Hermannus in diss. de L. Attii libris Didascalicon (Lips. 1842. 4.) de ipsis eius studiis iudicium mutare nequit: quae enim seruata sunt fragmenta non poeticae libertatis sed studii exacti imaginem ostendunt, ut ipse senex ille uenerabilis l. l. p. 4. hoc carmen nominarit non magni spiritus, atque, ut uideatur, si metrum demas, uix a prosa oratione diuersum.

amplius patuisse crediderim ([55]), neque eo studia progressa erant, ut Cincius Alimentus et bellicis laudibus exornatus et historia conscripta ciuibus notissimus, si tot, quot fragmenta illa indicant, uaria studia ad totum linguae et institutorum ueterum circuitum pertinentia amplexus esset, non eam quoque ob causam quasi τέρας aliquod et monstrum doctrinae praedicaretur ac nomen eius agmen duceret eorum, qui Romanam antiquitatem suis recluserunt: nonne ob multiplicem, si eius aetatis rationem habemus, doctrinam Varro quasi ante Varronem esset habendus? sed praeter ieiunam istam ac dubiam fere Liuii laudem 'diligens talium monumentorum auctor' in hanc partem nusquam disputatum est apud eos, qui Cincii mentionem iniiciunt, auctores: quod, si ad posterioris alicuius aetatis scriptorem, ubi communia omnibusque patentia studia ista erant, libros hosce referemus mirum sane non est, si ad Cincium Alimentum, belli Punici secundi aetate florentem, cum uix inque singulis tantum disciplinis prima doctrinae alicuius scholasticae uestigia apparerent, concipi hercle non potest. quemadmodum quaeso Aelius ille Catus praedicatur qui iuris scientiam primus ea aetate dicitur excoluisse? at eadem aetate de officio ICti scripsisset Cincius Alimentus, uir grauissimus amplissimisque muneribus functus, per tenebras grammaticorum hanc ob causam uix notatus, ne dicam laudatus?

([55]) Etiamsi enim Polybii tempore (Pol. III. 22.) linguae ueteris cognitionem admodum debilem fuisse scimus, id maxime hac ipsa inter Cincium et Polybium aetate factum censeo, cum tum demum Romani exterarum gentium, Graecorum imprimis, litteris magis tingerentur praeque iis ueteris robiginis patriae hucusque summa cum diligentia cultae obliuiscerentur.

Sed ad singulos libros iam procedendum est, ut quae in uniuersum probare studuerimus, hic accuratius demonstremus.

Quod primum ad librum de fastis attinet, eum si aliunde non refutareris iure fere tuo posses assignare L. Cincio Alimento. haud longe enim is M. Fuluii Nobilioris aetatem praegreditur, qui quodammodo Flauium iam antecessorem habuit, atque ipse his rebus intentus fuit: hoc enim, si locum Liuianum VII. 3. pro testimonio satis certo non habes, peculiari certe eius de Romae origine sententia probari posse censeo (cf. p. 17. 22.), quamuis etymologica, quae hic quoque conspicua sunt, studia dubitantem certe te redderent. at in hoc ipso certissimum posterioris aetatis indicium deprehendisse mihi uideor. ait enim Cincius (ne loquar de cognomine σοφιστὴς a Laurentio Lydo libri de fastis auctori tributum, quod etiamsi parum prisco illi praetori aptum, apud homunculum istum haud magnopere posset offendere) in eo quod primo loco posuimus fragmento, imperite quosdam opinari Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse: at cum ex Varrone de l. l. VI. §. 33. p. 213. coll. Censorino de D. N. c. 22. huius sententiae auctores cognoscamus Fuluium et Iunium, (quorum Fuluium esse M. istum Fuluium Nobiliorem a. 189. cos., de quo cummaxime locuti sumus, Iunium, Gracchanum illum a C. Gracchi amicitia appellatum, quo de infra fusius sumus dicturi, inter uu. dd. constat,) haud ante C. Gracchi tempora (non unum enim auctorem, sed 'quosdam' Cincius nominat, ut uix ad alios spectarit) libri nostri auctorem scripsisse atque ab historico, ni Arganthonii aetate eum uelis donare, plane diuersum esse, haud facile negabis ([56]).

([56]) Inuentum hoc meum occupatum uideo a Merkelio l. l. p. LXXVI.

Eodem libro usum esse Ouidium in libris Fastorum post elegantem Merkelii p. LXXX sq. (cf. p. LXXVI.) de mensium nominibus disputationem pro certo sumere posse mihi uideor. facillimum iam haberemus negotium, si uel ad eundem librum cum Krausio et Liebaldtio referremus, quae in Festum s. u. regifugium ex Cincii de fastis libro iure suo sibi intulisse uisus est Vrsinus uel si Merkelii nostri de Cincii nominis ap. Macrob. et Festum in Titii corruptione sententia firmioribus niti nobis uisa esset fundamentis: supersedere enim ea possemus quaestione num idem esset Cincius, quem Macrobius laudat, atque is cuius libros permultos affert Festus: horum enim esse unum eundemque auctorem L. Cincium (quo praenomine insignitum eum uidemus s. u. praecidanea porca frgm. *28.) cum Liebaldtio p. 14. 15. et Merkelio p. LXXV. (cf. quoque indices scriptorum ap. Lindemannum et Müllerum) statuere licebit, cum si uariorum auctorum libros ille attulisset in tanto fragmentorum numero aliquam certe eius rei notam deprehenderemus, sicuti in Aeliis plerumque et Ateiis factum uidemus. hunc igitur Festi Cincium et ante Verrium Flaccum et ante primam Liuii decada scripsisse persuasum mihi habeo: nemo enim praeter Krausium p. 72. Longolii, scripta Cincii huius iunioris non laudata esse ante Gellium, de re militari libros (qui num ad eundem pertineant, mox disseremus) citantem, probabit sententiam (57); a Festo de-

---

eandem rationem, etiamsi non data opera ut in Cincii inquireret aetatem, tacite iam secutus est u. dss. Rubino l. l. p. 324 sq. n. 1.

(57) Longolius l. l. t. II. p. 12. causam inde repetit cur haec fragmenta non a Cincio historico ducta esse possint; nemini enim probabile uisum iri scripta eius per IV. saecula derelicta iacuisse, tum uero ab omnibus deinceps grammaticis in usum esse uocata.

mum, qui etiamsi Verrio nonnunquam ex suis aliquid addidit, quod tamen rarissime factum est (cf. praeclaram Mülleri praef. p. xxxi.), semper fere eum decurtat ac mutilat, in omnes hoc locos Cincium illatum esse minus probabile est quam, quod equidem aduersae omnino addictus sententiae censeo, cum data opera Festus praeterire uoluerit uerba intermortua et sepulta (s. u. porriciam p. 218. M.) multa a Verrio ex Cincio, qui in libro de uerbis priscis haec ipsa tractarat, prolata a Festo esse suppressa. haud nimis exiguo porro spatio primae decadi Liuianae eum antecessisse ingeniosa Lachmanni l. l. I. p. 11. obseruatione ductus inde colligo, quod tabulae T. Quinctii dictatoris triumphalis cuius uel ex traditione uel ex libris notitiam accepit Liuius cum ipsa eius aetate non amplius extitisse uideatur (u. l. VI. c. 29.: tabula ... his *ferme* incisa litteris fuit), ita Cincius apud Festum s. u. trientem (fragm. 11.) facit mentionem, ut ipse eam inspexisse neque aliunde eius hausisse notitiam putandus sit. idem tamen Cincius nullo modo belli Punici alterius aetate potest uixisse. uix enim data opera in uerba prisca inquisiturum fuisse Cincium Alimentum, supra iam in uniuersum notauimus: etiamsi enim paullo cautiores Krausio, qui l. l. p. 69. satis festiue 'atque quod libri de uerbis priscis historico Cincio adscribuntur mirabilius etiam uideri debet, quia si Latine scripsisset uerbis priscis usus fuisset' his quoque priscis prisciora eoque tempore iam minus intellecta extitisse uerba statuimus, tamen eorum numerum non tantum fuisse iam tunc credimus, ut singulare idque haud exiguum ut uidetur opus de iis aliquis composuerit: si uero quis hoc susceperit et alio modo eum credo disputaturum fuisse et, id quod maxime spectandum est, non ea uerba electurum, quae ex

Cincii de uerbis priscis libro nobis traduntur. quod ad illud attinet, de genere loquendi, quo auctor hisce in fragmentis utitur, quae sentirem supra iam dixi, eodem uero modo etymologicam, quae in compluribus horum uerborum obtinet, rationem priscae isti aetati uix ita credam conuenire: conf., quae s. u. uindiciae, rodus, naccae, refriua ex Festo quaeque de delubro fanisque ex Seruio proferuntur, scholam magis olentia quam curiam et tentorium ac doctas potius grammatici alicuius argutias quam Romanorum bello Punico altero, ubi pedestris oratio in litteris emergere uix coepit, praetoris operam prae se ferentia. certiora tamen argumenta ex ipsis uerbis depromenda sunt, primum prolata a Zumptio u. dss. l. l. (cf. Liebaldtium l. l. p. 15.). quis enim, ut nonnulla tantum afferram exempla, scenam, quod uocabulum apud Liuium Cincio praetori aequalem legitur in Lydio, quis porro uocabuli rudus eam significationem tanquam priscam expositam esse credat octoginta annis ante Lucilium, qua eundem ap. Fest. l. l. usum uidemus? quis agrum noualem illo tempore priscis annumeret uerbis? (58) quis porro in animum sibi inducat inter Aelium, Varronem, Verrium ceterosque eius aeui grammaticos et ICtos Sulpicium, Opilium, Cloatium,

(58) Lucidissima eius rei exempla proposuit Zumptius l. l. p. 94.: 'Ref. hält es für undenkbar, dass ein römischer Senator im zweiten punischen Kriege als die lateinische Sprache noch nicht einmal die Prosa zu bilden angefangen ein Buch de verbis priscis schrieb und in demselben erklärte, dass condere urbem für aedificare stehe, was ager novalis, was natio sei, dass vindiciae *olim* dicebantur illae quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant.' pellucidum exemplum quoque habes s. u. tuditantes ubi Ennii et Lucretii afferuntur dicta (ex Lucr. II. 1142.; idem uoc. legitur ap. eund. III. 395. notante Forcell. apud quem Plinii quoque et ipsius Columellae de agro nouali ll. inuenies ll.)

Santram, Ateium Philologum, Sinnium Capitonem, Curiatium, Cornificium sine ullo discrimine Cincium istum Alimentum auctorem collocatum iri, quem Fabii Pictoris socium fuisse nouimus? nonne potius cum ubiuis cum huius aetatis uiris tanquam ad eorum pertinens coetum coniungatur, eidem tempori Cincius iste Festianus uidetur assignandus, quo Cincium a Macrobio laudatum uixisse nobis statuendum erat? nonne, cum ad idem omnino studiorum genus fragmenta apud utrumque auctorem laudata spectent, ab eodem Cincio profecta ea esse nimiae temeritatis uituperio haud obnoxiis coniicere nobis licebit? sed certius eius rei argumentum proponere me posse arbitror. libri enim Cinciani de fastis in articulo aliquo deperdito a Verrio laudati uestigia agnosco apud Paulum, qui auctoris nomine non allato, Cincianam quam ex Macr. I. 12. nouimus de Iunio sententiam, id quod haud effugit Mülleri aciem, profert p. 77. Lind. p. 103. Müll. 'Iunium mensem dictum putant a Iunone. iidem ipsum dicebant Iunonium et Iunonalem'. quae etsi per se satis discerpta, (quin immo si Merkelium sequimur, qui Iunonalis nomen ex Ouidii demum fastis VI. 63. illatum censet, interpolata), originem tamen suam celare nequeunt; neque magnopere a uero aberrare mihi uideor, si in lacero quoque Festi s. u. Maium mensem (p. 168. L. p. 134. M.) articulo Cincium a Verrio ad partes uocatum esse coniicio. nostro igitur iure ei opinioni accedemus, quae L. Cincium apud Festum et Cincium apud Macrobium laudatum pro uno habet eodemque homine. a quo neque is diuersus uidetur cui apud Seruium similia omnino fragmentis a Festo laudatis tribui uidemus, neque is cuius de diis Nouensilibus sententiam una cum Varronis ceterorumque grammaticorum opinionibus laudat Arnobius, neque is

quem cum Varrone et Cicerone coniungit Charisius neque is denique quem cum Aelio et Santra laudatum legimus apud Gellium N. Att. VI. 15. tanquam summa eo aeuo in rebus grammaticis auctoritate fruentem. cuius uiri aetatem paullo accuratius definiri posse censuit sagacissimus harum rerum perscrutator Merkelius l. l. p. LXXVI., ex eo quod consentire Cincio Varronem dicat Macrobius. at haec non magnopere equidem premam, cum in tanta testimoniorum farragine ad saturam istam Saturnalium proponendam undique corrasa talia discrimina non tam anxie obseruasse mihi uideatur Macrobius ([59]). eodem opinor iure pro parte aduersa Festum in arenam possis deducere, qui s. u. sinistrae aues Varronis sententia prolata idem fere sentire (i. e. Varroni fere consentire) dicit Sinnium Capitonem et Cincium ([59a]). alteram idem Merkelius coniecturam proponit, non ante Aelium Stilonem uixisse Cincium, si modo Verrius et Festus, quoties id fieri potuerit, temporis ordinem in nominandis scriptoribus secuti sint, 'ubicunque enim' inquit 'cum consentiunt et plerumque ubi dissentiunt Aelius antecedit Cincium. fuerit igitur fortasse Cincius paulo ante Varronem Aelio magistro usus'. at si locos ubi utriusque simul apud Festum mentionem factam esse uidemus accuratius inspicimus ter Aelium Stilonem expressis uerbis cum Cincio inuenimus coniunctum: inter hos

([59]) Quod ex Macrobio elicuit Merkelius, id alio modo mox probaturi sumus, ubi fatendum erit Macrobii h. l. sententiam recte se habere: sed casu magis opinor quam consilio hominis stultissimi.

[([59a]) Aliter nunc iam sentire uideo Lerschium l. l. p. 141 sq. de hac quaestione, sed donec certa allata erunt argumenta uasa colligere nequeo.]

s. u. naucum ubi dissentiunt Aelius postponitur, Cincius uero s. u. obstitum ubi iterum eorum discedit opinio, s. u. Salias uirgines ubi rursus haud idem proferunt, etiamsi dissensisse de hac re eos inde non colligas sed uaria tantum eadem de re narrasse, Cincium sequitur Aelius; duorum praeterea locorum, ubi probabili coniectura Aelium cum Cincio coniunctum pro Aelio Stilone habendum esse statuimus, altero s. u. noualem agrum Cincii opinio ab Aeliana discedens huic postponitur, cum altero s. u. refriua faba, ubi dubitat certe Aelius, an eam quam protulisse uidetur Cincius adoptet sententiam an aliam explicandi uiam ingrediatur, post Cincianam opionem laudatur. Merkelius igitur hac disputatione sua, etiamsi omnino grammaticorum istorum in testium nominibus collocandis siue diligentiae siue consilio tantum concederem, id quod imprimis apud Festum ex laceratis Verrii membris ortum et audacius paullo et subtilius censuerim, scopum propositum attigisse mihi certe non uidetur, quod cum quinquies coniungantur nusquam omnino consentientes, ter postponatur Aelius. quodsi alios quoque ubi uterque componitur locos examinamus, Arnobianam istam testium coronam sine ullo consilio aduocatam esse indeque, si de chronologicis iisque subtilissimis agatur rationibus, haud posse in censum uenire, etiamsi id, quod incertum adhuc est, quis ibi significetur Aelius (u. v. Heusdium l. l. p. 77.) nouerimus, per se patet, apud Gellium uero VI. 15., ubi Aelius Stilo cum Merkelio p. xcvii. uidetur intelligendus, sane postponitur Cincius. cum uero neque h. l. aliquid tribuerim, cum ne hic quidem certum Gellii consilium anxie parua aetatis discrimina obseruandi agnoscere possim, ipsis Merkelii argumentis sub-

scribere quidem nequeo, ipse tamen Stilonis ([60]) quoque aequalem natu minorem eum fuisse censeo: si enim Stilonem annis aequasset uel superasset laudem illam, quam Aelio tribuit Suet. de ill. gr. c. 2., grammaticae ab omni parte instructae et auctae, Cincio, tot antiquitatis studia amplexo, uel totam uel dimidiam impertiendam fuisse nemo non uidet, cum altero semel ad encyclopaedicum studiorum ambitum describendum praegresso, alter uestigia eius quasi premens magna hac laude haud ita dignus fuerit, etiamsi Cincium ea demum aetate scripsisse, qua Aelius alicubi rationem scriptorum eius habere adhuc potuerit, ex Festo s. u. refriua faba haud sine aliqua probabilitatis specie coniici posse mihi uideatur.

Iam igitur non magnopere a uero aberraturi nobis uidemur si Varronis, ab a. u. 638. usque ad a. circiter 727. uitam porrigentis, aequalem ponimus Cincium ([61]). alter alteri ita consentire dicitur a Festo et Macrobio ll. supra indicatis ut etiamsi subtilior inde aetatis definitio elici non potuerit tamen aequalem fere utrumque fuisse certe inde uideatur esse concludendum, sicuti apud Charisium quoque cum eodem Varrone et Cicerone laudatur Cincius. Varronem uero cum libros de l. l. componeret i. e. annis 708 et 709. p. u. c. Cincii de fastis librum iam nosse iis quae ap. Varronem de l. l. VI. 33.

([60]) Aelii Stilonis uitam ab anno fere u. 620. usque ad tempus aliquod ante a. 708. statuimus cum accurato atque eleganti harum rerum auctore van Heusdio l. l. p. 35. 44.

([61]) Augusteo eum tempori assignat Zumptius l. l. Ciceronis aequalem aut paulo post eum uixisse censet Liebaldt l. l. p. 15., quo laudato initio fere imperatorum dominationis eum tribuit Rubino l. l. p. 293. n. 1.: Augusti aetati uel etiam seriori tempori Krausius l. c. p. 68. (cf. ann. nostram 63.).

traduntur cum iis quae apud Macrob. de Aprili profert Cincius comparatis, satis mihi uidetur probabile: ex ea enim quae est Varronis consuetudo aequales non laudandi (sicuti Curiatium exscripsit V. 91. coll. Festo s. u. turma p. 355. M. eiusque ann.) h. l. ex Cincii libro uidetur hausisse, alioquin cum apud Macrob. statim Varronis atque eiusdem ut uidetur loci istius fiat mentio, ea quoque quae contra sententiam Fuluii et Iunii disputat ille l. l. ex ipso libro Varroniano sumpserit Macrobius uel potius is quem exscripsit; at is uerum huius disputationis auctorem nominat Cincium, qui si Varro prior hac de re scripsisset certe haud ausus esset uiri primas inter eruditos partis tenentis nomen silere. at Varro, quae fusius exposuerat Cincius in libro data opera has ad res explicandas composito contraxit utque assolet in suum usum uertit in libris de l. l. ubi cum tot tantasque res complecteretur digito tantum omnes posset quasi attingere ([62]).

Num uero Varronis apud Aelium Stilonem cum Cicerone fuerit condiscipulus, id, cum certa desint indicia, in incerto relinquendum esse arbitror, sicuti eiusdem Merkelii coniecturam sane ingeniosam l. l. p. cv., ubicunque apud Festum et Paulum Aelius simpliciter extet esse eum locum non ex libro aliquo Aelii Stilonis desumptum, quem Verrius semper ab Aelio Gallo distinxerit uel nomine plenius perscripto uel operis titulo addito, sed ex scriptis discipulorum eius Varronis potissimum et Cincii, eatenus certe non satis firmatam censemus, ut cum ipso uiro dss., 'quin fortasse Varronis solius' addente, de Cincio dubitemus.

([62]) Post Varronem de his rebus scribentem Cincium affert Rubino l. l. p. 325.

Iam restat ut quam hucusque neglexiinus de libris Cincianis de re militari deque duobus fragmentis a Fulgentio et a Victorino seruatis quaestionem instituamus.

Quad ad libros primum de re militari attinet, nemo eos praeter Gellium N. A. XVI. 4. commemorat. Barthii enim coniecturae aduers. XXVIII. 11. inter Vegetii fontes ex cod. aliquo eum inferenti non multum equidem tribuerim, collatis imprimis quae de cod. Guelferbytano ([62a]), qui si non Barthianus ipse, certe ei similis uidetur, narrat Schwebelius in praef. ed. suae Norimb. 1767. adscriptum enim ibi legimus inscriptioni 'de commentariis Catonis Augusti Traiani et Adriani nec non etiam Frontini', Barthius uero legisse se in libro uetustissimo in singulari libri primi inscriptione (quod discrimen apud Barthium non magni aestimauerim ad cod. Barthiani et Gudiani istius diuersitatem statuendam) cetera sicuti nos exhibuimus testatur, deinde uero 'Adriani Cinci Frontoni'. de quibus iudicium lectori committo. quod deinde ad libri aetatem atque auctorem attinet hic quoque paucis uerbis rem absoluit Zumptius u. ill. l. l. p. 94. disputans contra Blumium l. l. p. 66 sq., qui ex eo quod ibi C. Laelii C. f. L. Cornelii P. f. coss. a. 190. fiat mentio L. Cincium Alimentum eo tempore adhuc uixisse contendit, quod Liebaldtium quoque statuere necesse est, quem hoc solum opus historico assignare monuimus, p. 16 sq. cf. etiam Clintonem F. H. t. III. ad a. 190., de auctore tamen dubitantem. festiue enim ille admonet cogitari nullo modo posse Cincium uiginti annis ante praetorem et imperatorem, cum apud exercitum quoti-

([62a]) Erit is cod. Guelf. 899. (Gud. 84.) s. IX. praestantissimus: duo praeterea Vegetii codd., qui in bibl. asseruantur Guelferbyt. n. 897. 898. (15. 201. Gud.) s. sunt XIV.

die ea acciderent, quae solo antiquitatis studio innotescerent τοῖς ἐπιγόνοις, docere uoluisse aequales suos id 'antiquitus' fuisse quod septuaginta annis post, cum scriberet Polybius, existeret adhuc ac uigeret? ueluti id quod imperfecto semper utens tempore de absentiae excusationibus profert Cincius, etsi paullo breuius narrat Polybius VI. 29. §. 4. quodsi accuratius cetera cum egregia his de rebus Polybii expositione comparamus, imperatorem hercle nostrum, rei militaris sane peritissimum, iusiurandum id ad quod post delectum de obedientia superioribus seruanda milites adigerentur (Polyb. VI. 21. 2.) cum eo uidebimus confundentem, quod castris positis et liberi et serui praestarent, cuiusque exemplum breuius proponit Polyb. VI. 33. 2. iam igitur hominem istum rei militaris haud admodum peritum ac Polybiana aetate aliquanto posteriorem pro uno eodemque grammatico habeo, quem altero iam loco (VI. 15.) apud Gellium, qui utrumque nullo modo discernit, supra agnouimus ([63]). quod monuit Lie-

---

([63]) Eadem Krausii est sententia l. l. p. 68., argumentatio uero, qua eo peruenit, certe mira ne dicam absurda. dicit enim ille hoc in fragmm. laudari coss. a. u. 564., quam ob rem nisi Cincius Alimentus ad summam senectutem peruenerit, 'qua uix de consulibus illis scribere, nedum eiusmodi difficile argumentum tractare' potuerit, (nam a. 534. eum fuisse quaestorem, triginta ferme annos natum, id quod etiamsi non certis argumentis demonstrandum, haud magnopere a uero abesse censeo, cum a. 544. praetorem eum fuisse sciamus,) nihil esse probabilius uel potius rectius, quam—libros de re militari ab alio eiusdem nominis homine Augusti aetate uel etiam seriore tempore conscriptos esse. uidetur igitur Krausius, cum ex ipsa eius computatione sexaginta annos his coss. natus fuerit Cincius, qui iam ipso eorum anno eos potuit commemorare, festiuum illud 'sexagenarius de ponte' in litteras quoque illaturus. male hoc congruit cum Varronis dicto 'cum habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi'. at, si uel hoc ei concedis, non

baldtius p. 16. scriptionem antiquitatem redolere, id quatenus ad formulas sollemnes antiquitus traditas attinet, infitias non eo, quod uero libri sexti fragmentum duas res, parum inter se cohaerentes contineret, id Gellii magis culpae quam Cincio tribuendum uideri supra annotaui, ut Liebaldtianae opinioni iustum mihi deesse uideatur fundamentum.

Paullo magis lubrica est quaestio de Hermundulis s. Hermunduris, qui in l. III. fragmento tanquam is populus afferuntur, cui bellum indicant Romani. neque enim ego arbitror, Gellium, qui diserte Cincii se exhibere fragmentum ait, Hermundulos ipsum intulisse, qui eo tempore cum Antonino bellabant (Capit. uita Ant. Phil. c. 22. 27. cf. Longol. l. l. I. p. 15 sq. Lachmann l. l. I. p. 30.), neque hoc ob bellum cum Longolio I. p. 121 sq. Antoninorum aeui Cincio alicui hos libros assignandos esse persuadere mihi possum, neque cum Gronouio patre ad Gell. l. l. et Liebaldtio p. 17. pro ignoto Italiae populo Hermundulos habeo, quod tum demum facere oportebit, si Cincium Alimentum operis laudati auctorem esse statuerimus, sed agnosco equidem h. l. Hermundulos istos, quos primum laudatos legimus apud Strabonem l. VII. t. II. p. 64. Tauchn. et apud Vell. Pat. II. 106., ubi a. 5. p. C. n. Tiberius narratur usque ad Albim 'qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit' perduxisse exercitum. aut igitur ad hanc ipsam expeditionem respexisse putandus est Cincius, aut, quod magis mihi uidetur probabile, (uix enim is quem ante a. 46 uel 45. a. C. n. de fastis librum scripsisse statuimus, post a. p. C. n. 5. de re

---

est cur sine ullo alio argumento, Augusteo uel posteriori etiam aeuo eum tribuas.

militari scripserit,) Hermunduros, qui eo quo floruisse Cincium tempore statuimus Romanis per Teutones ac Cimbros perque Caesaris expeditiones rerum Germaniae iam aliquantulum peritis certe haud omnino ignoti erant, grammaticorum more exempli gratia posuit Cincius pro cuiuslibet populi nomine.

Fulgentii deinde Cincii Alimeti (quod in Alimenti corrigendum esse iam monuimus) fragmentum ([64]) plus minusue nobis facesset negotii pro maiore uel minore quam ipsi Planciadae tribuimus auctoritate. iam Popma ad hoc fragm. monuit: 'hoc fragm. Cincio dedi fide Fulgenti Planciadae hominis alioquin in citandis auctorum testimoniis minus fidi' et admodum dubiam eius esse auctoritatem (conf. quoque Baehrium h. litt. R. p. 733. et qui nuper eadem de re scite disputauit Hildebrandium in ed. Apuleii Hal. 1842. t. I. p. 302 sq. [quique nunc totam hancce quaestionem docte pertractauit Gerlachium in praef. suae et Rothii ed. p. xxx sq.: idem p. xix. librum de uerbis priscis Cincio Alimento assignat, quod adde annotationi nostrae 29.]) nemo omnino neget, quinimmo nonnulli uu. dd. turpissimam ei fraudem obiicientes nullum prorsus pretium eius esse statuunt, cf. imprimis God. Bernhardy u. dss. in hist. litt. R. p. 145. 330. qui Appuleio isti omnino eum aequat. at Fulgentius cum saeculo decimo non sit recentior, extant enim codd. libelli Fulgentiani eo ipso saeculo scripti, quorum et Guelferbytanus ([65]) mihi innotuit

---

([64]) Cf. ann. 1. et fragm. 38.: omnino similis codd. discrepantia ap. P. D. s. u. Alumento, ubi e codd. Guelf. 1. et Lips. Lind. p. 16. (cf. p. 325.) recepit Alumeto, iure aduersante Müllero p. 18.

([65]) N. 362. (Gud. 335.) apud Ebertum bibl. Guelf. codd. Gr. et Lat. class. Lips. 1827. p. 74. iam cum respiciat ad Mart. Capellam

et Berolinensis bibliothecae regiae supra laudatus (in catal. mss. Lat. n. 73. in forma oct.), nonnulla fortasse ex fontibus hausit nobis iam ignotis. iam igitur donec per singulos locos haec quaestio instituta erit, [quam instituturum se esse nuper promisit Lerschius l. l. III. p. 159.] nihil certi de fragmento nostro proferre poterimus. ipsa uoc. silicernii quae affertur nostro l. explicatio ea est, quam reiicit Nonius (p. 48. Merc. cf. Don. ad Ter. Ad. IV. 2. 48.) dum plerumque grammatici et per coenam funebrem et per farcimen aliquod, cuius ibi usus erat, explicant uoc. (praeter ll. a Müllero ll. ad Fest. p. 294. s. u. silicernium occurrens quoque apud Eutych. p. 158. Lind. p. 2149. P.), neutro tamen semper ubi de eo loquuntur utentes genere, cum adiectiue 'silicernius' de cursu Sileni l. Martiani Capellae a Forc. in lex. l. inueniatur. iam igitur haud abest suspicio Fulgentium ut huic uerbo auctoritatem aliquam pararet Cincii Alimenti effinxisse sententiam, certe ueterem historicum nominaturum, non grammaticum, cui Alimenti cognomen nusquam tribuitur cuiusque studiorum genus ad res huiusmodi haud inclinat; quamuis apud Fulgentium ne ea quidem de re certi quid audeam proferre; certe ille in annalibus suis, quam 'historiam' h. l. appellare uidetur Fulgentius, de Gorgia mentionem potuit iniicere — singulare enim de Gorgia opus Cincianum h. l. commemorari cur statuere opus sit non uideo equidem (cf. etiam Ionsium de scriptt. hist. philos. II. ix. 5.) — praesertim cum ipse in Sicilia praetor fuerit, ubi Gorgiae memoria maxime certe florebat. ea quoque quae de Gorgia

(de nupt. Merc. et Phil. I. 4. 1., p. 23 sq. Kopp.) s. u. coelibatum, intra alteram s. v. partem et s. x. scripsit ['circiter a. 500' Gerlach p. xxx.].

h. l. proferuntur et omnino recte se habent (cf. quos l. Brandis h. philos. Gr. Rom. t. I. p. 532 sq. Foss de Gorgia Leont. p. 37 sq., qui locum Fulgentianum uel ignorauit uel spreuit) et optime a Cincio isto prisco tanquam summum constantiae exemplum alicubi in annalibus ciuibus poterant proponi. ipsa eius uerba nullo modo hic quaerenda sunt: nam et genus scribendi Velleianas magis sapit sententiarum oppositarum argutias quam cascam et roscidam belli Punici alterius aetatem et Cincii annales Graece scripti fuerunt. ac sicuti s. u. problema Demosthenis afferens exemplum ipse dicit Fulgentius 'sed quidem te Graecum turbet exemplum, ego pro eo Latinum tibi feram', sicuti Stesimbrotum, Antidamam, Mnaseam, Diophantum, alios Graecos scriptores Latine loquentes affert, sic quoque Cincium attulit. num uero eam quam ei tribuit narrationem in annalibus protulerit Cincius an omnino a Fulgentio ficta sit, id in incerto est relinquendum: certe proferre eam potuit, ut etiamsi non uerba, tamen aliquid ex operis argumento a Fulgentio seruatum esse uideri posset ([66]).

Victorini denique de repertoribus litterarum fragmentum quod annalibus Cincii Alimenti tacite annumerat Liebaldtius p. 9., equidem cui assignem sane dubito. potuit ille, sicuti uult Liebaldtius, cum de immigratione Euandri in Ita-

---

([66]) Quae obiiciunt iis, qui historicum in l. Fulgentiano intelligunt Krausius p. 70., Liebaldtius p. 16. ea, cum peculiarem Cincii de Gorgia, quem nos cum Zimmernio non statuimus, spectent libellum minus ad nostram rem faciunt; in incerto quaestionem reliquerat Longolius t. II. p. 6 sq. errore notandus, quod aut ipsum fragmentum annalibus Alimenti, Latine scriptum Graece compositis, uult annumerare, aut Cincii iunioris de uerbis priscis libello, ubi uerbum istud silicernius s. silicernium explicari quidem sane potuit, narratio tamen ista de Gorgia, quae sola ut Cinciana h. l. profertur, locum non habet.

liam in succincta priore operis parte origines Romanorum fortasse explicans loqueretur, de litteris quoque iniicere mentionem, potuit idem facere ex Fabiis aliquis, siue is Fabius fuerit Pictor siue quis ex aliis Fabiis historicis: qui uero tertius h. l. laudatur eum esse Cn. Gellium ([67]) ex Plin. N. H. VII. 57. sequi uidetur, ut si chronologicum auctorum ordinem in testibus enumerandis Victorinum seruasse probari posset ([68]) ea de re non esset dubitandum. facile enim quae Graece scripserat Cincius Latine uertere et nihilominus tanquam Cinciana afferre potuit Victorinus, qui et ipse a secunda manu ueterum istorum historicorum sententias acceperit. Cincio grammatico conuenire quae ibi profert non est quod doceam

---

([67]) De A. Gellio quoque haud inepte cogitare quis possit: etiamsi enim neque in N. A. de litterarum inuentione sermo sit, neque in deperdito libro VIII. (ad quem pertinere arbitror quae ex libro nono l. Priscianus t. I. p. 258. Kr.) secundum capitum argumenta seruata hac de re dictum fuerit, Gellius alia quoque grammatici argumenti et scripserat (u. V. 12., ubi ad locum et posteriorem et aeque breuem XVI. 5. respici equidem non puto, cum de uberiore aliquo ubi de particula ue exposuerit tractatu loquatur illo loco Gellius) et scripturum sese promisit (XVII. 1. de u. paenitet). atque ibi, cum neque de numero neque de reliquo horum tractatuum argumento tradatur aliquid, de litteris quoque earumque origine Gellium disputare potuisse haud est incredibile. attamen cum de litteris apud Aegyptios a Mercurio repertis secundum Plinii l. l. coll. auct. ind. scripserit Cn. Gellius, is quoque totum id argumentum uidetur pertractasse, ut eum, coniecturam probabilem incertae praeferens, in loco Victorini intelligi statuendum esse censeam.

([68]) Quod Cincius h. l. ante Fabium laudatur, eo certe argumento contra hanc sententiam utendum non est, cum et aequales fere sint Cincius et Q. Fabius Pictor discrimenque aetatis subtilissimum h. l. seruandum non fuerit, et alius quoque h. l. intelligi potuerit ex Fabiis historicis, sicuti supra monuimus, qui inter Cincii et Gellii aetatem uidentur collocandi esse.

eumque saepissime in libris grammaticis ad partes uocatum esse uidimus, cum Alimenti una tantum eaque apocrypha apud Fulgentium fiat mentio. sed probare inde neque in unam neque in alteram partem quicquam audeo, magis enim uidetur ingenuum, quae disquisitione nostra recludere non potuerimus, sincere fateri quam incerta pro exploratis uendere.

Quod ad iudicium nostrum de Cincio grammatico attinet, infitias haud ibimus, etiamsi unum alterumue errorem commiserit Cincius (cf. quae de fragm. ex l. de re mil. V. monuimus p. 77.) et in etymologicis rationibus proponendis paullo ineptius nobis interdum agere uideatur, (quod tamen non in hominem, sed in totum eius aetatis grammaticorum cadit coetum, his studiis haud ita imbutum, sicuti nos seueriore inquirendi ratione ea tractare edocti sumus, ueluti cum naccas opinetur fullones dictos esse, quod nauci non sint, quod iam notauit Liebaldtius p. 15.), multiplici eaque solida doctrina cum linguae ipsius, imprimis priscorum et obsoletorum uocabulorum, tum antiquitatum et sacrarum et profanarum, ut saeculi praeteriti compendiorum solitis istis inscriptionibus uti mihi liceat, cognitionem amplectente eum excelluisse, ut maxima sane eius quam a recentioribus ueteri Cincio tributam uidemus laudis pars in hunc cadat ([68a]), ea qua Gellii

([68a]) Pretium eius sane eo non imminuitur cf. Rubinonem l. l. p. 319. n. 1., qui iure suo et hic et alibi obluctatur, ut ipsius uiri de omni hoc studiorum genere meritissimi uerbis utar, 'dem Vorurtheile für die älteren Annalisten und Schriftsteller im *allgemeinen* Gegensatze zu ihren Nachfolgern, namentlich denen der ciceronianischen und augusteischen Zeit, der eigentlich classischen Periode für die Alterthumsforschung der Römer'.

tempore ornatum eum uidimus (ap. Gell. VI. 15.) auctoritate sane haud indignum. Graecarum quamuis antiquitatum haud imperitus fuerit (id quod imprimis docet fragm. 10. ex Festo s. u. subici aries, quod satis probabiliter suppletum esse puto), tamen ad ipsas res Romanorum indagandas imprimis se conuertit, ex ipsis radicibus Latinis Graeco sermone non adhibito uoces deriuans, totius Latii quoque (quod ex iis, quae de mense Iunio protulit satis apparet, ac uel magis appareret, si ad eum locus Liuianus VII. 3. merito referri posse uideretur,) linguae et antiquitatis respectu habito, ita ut, si omnino hoc discrimen tam accurate statui posse censeas, iure tuo cum Lerschio (Sprachphilosophie der Alten t. III. p. 143 sq. Bonnae 1841.) inter Romanistas nominare eum possis, dummodo ne cum isto Cincium Alimentum intelligas (69).

Quaestionem denique de grammatici istius persona undecunque instituens in coniecturam aliquam deueni, quam, etiamsi Merkelii (l. l. p. LXXV.) tabellam lugubri isto C. signatam uideam, tamen proferre audebo, ipse tamen pro certa eam non ueneditans, perincertos enim utique historiae uicarios tales coniecturas uere hercle nominauit Weichertus u. ill. (de Vario et Cass. praef. p. IX.). eodem enim tempore cui L. hunc Cincium assignauimus eiusdem et nominis et praenominis inde ab a. 687. usque ad a. 705. in Ciceronis epistolis saepe laudatus legitur T. Pomponii Attici, hominis litteratissimi, Roma saepissime absentis negotiorum gestor (Cic. ad

(69) Qui de Cincio Alimento huius operis de u. pr. auctore dubitat Baehrius in ann. litt. Heidelb. l. in ann. 11. l. ex ipso Alimenti annalium libro Graece scripto argumentum repetit, cur potius statuendum sit Cincium Graecis Alexandrinorum studiis operam nauasse.

Att. I. 1. 1. I. 7. I. 8. 2. I. 16. 17. I. 20. 1. IV. 4.) qui itidem et propriis negotiis operam nauabat (in quibus Cicero ei non deesse se profitetur I. 16. 17.) et M. Cicerone ut uidetur auctore Q. Ciceronis in Sardinia commorantis rebus quodammodo consuluit (ad Q. fr. III. 1. 6. cf. II. 2. 1.), homo emunctae ut uidetur naris, cum Cicero ad Q. fr. l. libri II. l. scribat 'quod ad me de Lentuli et Sestii nomine scripsisti locutus sum cum Cincio. quoquomodo res se habet non est facillima.', et iuris peritus: cuius rei cum certissimum argumentum in eo iam positum sit quod Attici negotiis haud parui sane momenti praeerat, alterum praestat Cicero. cum enim hic libris a Seruio Claudio relictis donatus esset a L. Papirio Paeto, affinitate cum Claudio coniuncto (ad Att. I. 20. 7. cf. van Heusde l. l. p. 46.), libenter eos accepturum se dixisse scribit Attico si attulisset Paetus, quum sibi per legem Cinciam licere capere Cincius diceret: quod etsi festiuius sane dictum est, tamen inde apparet et omnino iuris ac legum peritum fuisse Cincium et Ciceronem familiariter eo usum esse (70). iam igitur si rem qua de sermo h. l. esse debebat accuratius spectamus, serio de ea quaestionem aliquam iuridicam institui potuisse uix est quod credamus: iam igitur coniiciat aliquis Ciceronem hisce de libris non sermonem cum Cincio ob meras istas nugas instituturum fuisse, nisi ioculari ista interrogatione absoluta, de ipso eorum quoque argumento deque pretio eorum litterario confabulationem ei annectere potuisset: hi autem libri inter quos ipsius Seruii opera fuisse certissimum uidetur, si ex fragmentis e Seruii libris seruatis (cf. van Heusde p. 81 sq.) de studiis atque inde

---

(70) 'Cincius noster' eum nominat ad Att. scribens I. 20. 1.

de bibliotheca eius, quae studiorum quasi repraesentat imaginem, colligere licet ad totum antiquitatis studium spectasse putandi sunt, quod una cum Stilone ab omni parte auxisse dicitur Claudius apud Suetonium, imprimis uero cum Plauto explicando summam iste nauauerit operam ([70a]), libros quoque de uerbis priscis deque eiusmodi studiis agentes continuerint. sicuti igitur iuris scientia, qualem in negotiatore deprehendimus, libros de officio ICti deque Romanorum antiquitatibus publicis componenti maxime erat necessaria, ita sermo iste de libris Claudianis, quem tamen coniectura paullo leuiore niti ipse hercle haud ignoro (neque ad sententiam nostram stabiliendam opus eo est), ei maxime aptus esse uideatur, qui simile studiorum genus profitebatur et libris de uerbis priscis aliisque eius generis uel scriptis publice demonstrarat uel scribendis erat demonstraturus. at obiicis mihi, quomodo talis homo negotiis quotidianis districtus pecuniaeque undique corradendae intentus litterarum studio ita imbutus esse potuerit? at uideas quaeso Q. Axium feneratorem, Ciceronis et Attici amicum, litteris certe elegantioribus haud alienum, cum ad eum de Catonis pro Rhodiensibus oratione dederit epistolam Tiro Tullius (Gell. N. A. VII. 3.); nostrum certe Cincium litteras coluisse inde iam colligere licet, quod Attici, ad quem de rebus, ut ita dicam, delicatissimis, quibus haud multi certe erant imbuti, litteras eius inuenimus laudatas (ad Att. VI. 2. 1.) erat amicus (ad Att. I. 20. 7. cf. ibid. §. 1.): illumne uero hominem litteratissimum, historiae et antiquitati Romanorum continua studia

---

([70a]) Quamuis paullulum restringenda sint quae profert Heusdius cf. Ritschl de uett. Plauti intpp. Bonn. 1839. p. 7 sq.

donantem eximiorumque librorum eo spectantium auctorem (u. Hulleman diatribe in T. Pomponium Atticum. Trai. ad Rh. 1838. 8. p. 176 sqq. p. 183 sqq. et fragmenta ex annali ibid. p. 208-211.), qui ne pedisequos quidem suos cultu litterarum elegantiori destitutos esse uoluit (Nep. uita Att. c. 13. §. 3.) in amicorum Varronis, Ciceronis, Nepotis, Sisennae, Peducaei, Saufeii coetum (u. Hulleman l. l. p. 178.) homini rudi ac litterarum imperito aditum concessisse in animum tibi inducere potes?

Iam igitur L. istum Cincium et iuris et litterarum peritum eademque quam grammatico L. Cincio assignare debuimus aetate florentem, librorum qui hoc prae se ferunt nomen auctorem esse potuisse in aprico opinor positum est: num reuera fuerit, cum disertum eius rei testimonium sane non extet, acutiorum iudicio equidem remitto eo iam contentus, si ueterem istam de L. Cincio Alimento bello Punico altero analium eodemque librorum ad linguam et antiquitatem Romanorum spectantium auctore sententiam funditus euertisse censear.

DE M. IVNIO GRACCHANO DISPVTATIO.

Plinius maior ubi de equitum nominibus saepius uariatis loquitur, post flexuminum nomen trossulos eos uocatos esse tradit (N. H. XXXIII. II. 9.) ultra C. Gracchum, ibique testimonio utitur Iunii qui ab amicitia eius Gracchanus sit uocatus (71). eiusdem Iunii Gracchani libris de potestatibus quorum laudat septimum usum uidemus Vlpianum in libro

---

(71) 'Inimicitia' h. l. pro amicitia legere uult Ellendt ad Cic. Brut. c. XXVIII. §. 109. p. 82. ed. suae intelligens M. Iunium Pennum auctorem legis de peregrinis contra quam dixit C. Gracchus (Fest. s. u. respublicas p. 286. M.: nam de lege Fanni ex Beieri ad Cic. de off. III. 11. 47. coniectura hic sermonem non esse, quamuis Walteri auctoritate h. iur. Rom. p. 246., quae Meyerum quoque ad Bruti l. l. ad Beierianas partes adduxisse uidetur, destitutus, cum eodem Meyero fragmm. orr. R. p. 117. et Müllero ad Festi l. l. equidem censeo): sed haec irrita esse Meyerus p. 115. [p. 221 sq. ed. 2.] et Westermannus h. el. R. p. 90. eo demonstrarunt, quod fragmenti istius stilus historico alicui scripto magis aptus uideretur quam orationi quodque Pennus ille omnino nihil haberet, ex quo Iunium istum Gracchanum eum fuisse liceret colligere, quibus adiicio tale cognomen quod uel adoptionem significare solet uel intimam aliquam siue uitae siue doctrinae communionem (cf. quae de nominum horum ratione breuiter sed acute dicit Goettlingius l. l. p. 74.), parum apte ita explicari uideri, ut ex summa inimicitia ortum sit, cuius rei neque Ellendtius attulit exemplum neque ego possum afferre. quae ceterum ad ipsius cognominis formam attinent rectius exposita inuenies apud Zumptium gr. Lat. §. 254. (p. 244. ed. sept.) quam apud Reisigium in scholis de l. l. ab Haasio editis §. 109. p. 166., ubi nostri nominis nulla habita est ratio.

singulari de officio quaestoris, quod constat ex fragmento huius libri in tit. D. de off. qu. (I. xiii.) seruato. cuius operis meminit etiam Laurentius Lydus in prooemio librorum de magistratibus p. R. (p. 120. Bekker), qui postquam promisit se dicturum esse περὶ τῶν πολιτικῶν ἐξουσιῶν paucis interiectis ita pergit 'ὅτι δὲ καὶ Γρακχιανός ([72]) τις πάλαι περὶ τούτων ἔγραφεν ἴσμεν τοὺς νομογράφους ἀναφέροντας· οὐδαμοῦ δὲ τὰ γραφέντα φέρεται ἴσως αὐτά, πάντως δὲ καὶ αὐτὰ τοῦ χρόνου τεκόντος ἅμα καὶ κρύψαντος.' quae tamen l. I. c. 24. (p. 139. B.) inde affert, ea noui nihil continent ex ipso illo Digestorum loco ita descripta, ut quae Vlpiani ibi sint et ipsa ab auctore negligentissimo tanquam Iuniana proferantur ([73]). iam dubium esse non potest, quod omnes librorum de legibus Tullianorum editores inde a Turnebo (p. 743. in ed. Cr. et Mos.)

([72]) Γραγχιανὸς I. 24. nomen scriptum est e codicis auctoritate apud Fussium, cum Γρακχιανὸς h. quoque l. exhibeat Bekkerus. de Gracchorum nominis per γ et κ promiscua in codd. scriptura cf. Sintenis in H. A. L. Z. 1842. N. 50. p. 397.

([73]) Quae ad hanc rem probandam equidem afferre conatus eram nunc iam proponere et arrogantiae esset et stultitiae post accuratissimam et elegantissimam Dirksenii u. ill. commentationem de fide historica libri Lydiani de magg. reip. R., insertam operum eius miscell. t. I. (Ber. 1841. 8.) p. 50 sqq., ubi p. 66 sqq. firmis probatur argumentis ueterum quos laudet ICtorum libros ex excerptis tantum in Digestorum corpore seruatis Lydo innotuisse. nihil ad nostram rem facit Mongezii commentatio, a. 1813. conscripta (mém. sur le traité de Lydus concernant les magistratures romaines), inserta t. XII. p. 1. actorum acad. inscr. et art. libb. Francogall. Paris 1839. 4. p. 303 - 306., ea quae de uestimentis tradit Lydus examini suo potissimum subiiciens, dum praeeunte primo huius libri editore Fussio nostram quaestionem haud multo post iam scite attigit idem Dirksenius in collectione fragmentorum ICtor. Rom. Regiom. 1814. 8. (p. 57 sqq. n. 79.), cf. etiam Creuzerum in compend. antiqq. R. ed. alt. p. 219 sq. quique eum laudat Rubinonem l. l. p. 317. n. 3.

consensu suo probarunt, quin ad eiusdem Iunii de potestatibus libros sint referenda, quae ibi legimus l. III. c. 20., ubi Cicero, postquam roganti ei num disputationis aliqua materies reliqua esset respondit Atticus, faciendum ei esse, ut magistratibus lege constitutis de potestatum iure (74) disputet, faciam, inquit (§. 49.), breuiter si consequi potuero, nam pluribus uerbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite meo quidem iudicio et diligenter. nam cum de potestatibus scripsisse Iunium Gracchanum eadem aetate sciamus (Atticus enim filius natus a. u. c. 645., ut M. Iunius, patris eius amicus, C. Gracchi aetati certissime assignandus sit,) qua eadem de re h. l. scripsisse traditur M. quidem Iunius, eandem sane personam notari utroque nomine haud facile neges. de Attici patre nihil praeter l. Ciceronianum nobis notum, nisi quod tradit Corn. Nepos in uita Attici (I. §. 2.) diligentem [indulgentem] (74a) et ut tum erant tempora ditem imprimisque litterarum studiosum fuisse proutque ipse litteras amaret, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri deberet filium erudiuisse (cf. Hulleman diatr. in T. Pomp. Att. p. 19 sq.), ut accuratiorem Iuniani operis notitiam ex eius cui id dedicarit persona nancisci non possimus; idem uero Hullemanus quomodo quae proposuit l. l. ann. 5. ex loco Cicero-

---

(74) Hanc enim quam codex Monacensis exhibet lectionem ab Orellio receptam unice ueram esse persuasit mihi Maduigius l. ab Orellio indicato (emendationum in Ciceronis libros philosophicos p. 1. Haun. 1826. 8. p. 106 sq.). uarias uu. dd. coniecturas propositas inuenies in editione librorum de legibus a Creuzero et Mosero confecta p. 474 sq., ueluti 'de potestate tum iure', 'de potestate tum de iure', quae lectiones maxime sunt receptae.

[(74a) De hoc uoc. omittendo cf. nunc Nauckium in Archiv für Phil. u. Pädag. VIII. 2. 1842. p. 290 sq.]

niano potuerit elicere ualde equidem miror. nam ex iis, quae ibi litteris mandauit 'ad eum (sc. Attici patrem) de potestate et iure perite et diligenter scripsisse M. Iunium Sodalem auctor nobis est Cicero de legg. l. III. c. 20. §. 49.' nihil equidem probandam censeo, nisi quod praenomen Marci illius libri auctori reddiderit (quod a Varrone quoque de l. l. VI. §. 95. p. 274. Sp. ei tribui mox uidebimus), cum Niebuhrius (h. R. t. II. p. 12.), Krausius (l. l. p. 221.) (75), Westermannus (h. eloq. R. p. 90.), Goettlingius (l. l. p. 74), ut eiusdem amici ex quo cognomen acceperat praenomen quoque ei ut uidetur tribuant, C. eum appellent. Sodalis uero cognomen ut huic assignaret motus uidetur Hullemanus altera Turnebi huius uoc. in l. Ciceroniano interpretatione, quam etiam Goerenzius in editione sua erat secutus. ait enim Turnebus in ed. Cr. et Mos. p. 744. ad explicandum u. sodalis haec: 'cui familiaritas et sodalitas cum Attici patre intercedebat, nisi quis Sodalem dici putat propter amicitiam Gracchi. illud alterum uerius puto'. quibus addit Ernestius 'si nomen appellatiuum est (76), non dubito quin sit de amicitia cum Attici patre capiendum. sic pro Mur. 27. [§. 56.] Seruius Sulpicius sodalis filii scil. Murenae. nisi quis forte dignitatis nomen putare uelit a collegio aliquo cuius sodalis fuerit tamquam epulonum.' at equidem omnino assentior Orellio, qui ad h. l. loco Murenianae ab ipso Ernestio allato rem confici monet ut h. quoque l. sodalis sit appellatiuum.

Deinde de potestate et iure eum scripsisse Digestorum loco neglecto dixit Hulleman ex ug. lectione, secundum quam

---

(75) Eam ob rem iam uituperatus in Orellii et Baiteri onomast. Tull. p. II. p. 324.

(76) '(ut est: Or.)' onomast. l. l.

'de potestate tum de iure' Ciceroni disputandum esse dicit Atticus ipsam Iuniani operis depromens inscriptionem. quae si iure nostro refutasse nobis uidemur, iamnunc habemus M. Iunium Gracchanum ex plebeia Iuniorum familia oriundum, plebis partibus intimo ex pectore addictum, quippe qui arctissima cum C. Graccho iunctus fuerit familiaritate, ut omnibus eius aetatis solita reipublicae fundamenta prorsus concutientis motibus affuisse putandus sit, etiamsi quem in iis locum ipse obtinuerit per temporum tam remotorum caliginem perspicere haud licet: credo equidem, cum per se nihil uideatur egisse primas partes tenens aut ipse agmen ducens (tunc enim nomen eius tanquam stella lucida e tenebris emergeret), coetui contubernalium et quasi consilio Gracchi eum affuisse. post mortem funestam uiri huius, summis sane ingenii dotibus praediti, a republica forsitan recesserit, studiis antiquitatis totum se dedens, quorum fructus ipsos per tenues tantum reliquias conspicere nobis licet ([76a]). tum ea, quae cum Graccho ei intercesserat familiaritas ex simili plebeiorum ad potentiam extollendorum studio orta, cum Attici patre coniunxisse eum uideatur litterarum bonarum coniuncto amore et cultu nisa. lucidius sane omnia haec perspiceremus, si iunioris Attici nobis superesset liber, quo Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad ipsam suam aetatem enumerauit, notans qui, a quo or-

---

([76a]) Fortasse uero et antea libros composuit, cum in fragmento quoque aliquo plebei studii uestigia appareant (cf. ad fragm. 1.), ut Graccho eiusque motibus historicum quasi pararet ius et fundamentum. sed hoc certum argumentum esse non potest, cum ne post mortem quidem Gracchi politicas quas secutus erat rationes deseruisse putandus sit.

tus, quos honores quibusque temporibus cepisset (Corn. Nep. Att. c. xviii. §. 3.), nunc eo iam contenti quod hic illic parca scriptorum eius apparent uestigia, quorum iam nunc, ipsa de iis disputatione suo loco intexta, dabimus conspectum.

Primi igitur progrediantur

I. libri de potestatibus septem pluresue, quorum unum idemque fragmentum apud Vlpianum in tit. Dig. de off. qu. indeque apud Io. Laur. Lydum de magg. p. R. I. 24. extare iam monuimus. exposuit igitur in illis libris de quouis muneris ciuilis genere: eae enim sunt potestates, dum imperiorum usus in bello et re militari, ut Kritzii u. ill. utar uerbis ad Sall. Iug. c. lxiii. §. 5. (cf. eund. ad iii. 1. et lxxxv. 9.) (77), quocum optime conuenit fragmentum seruatum de quaestorum agens munere. est autem hoc:

1º Digestor. l. I. tit. xiii. de officio quaestoris.

Vlpianus libro singulari de officio quaestoris.

Origo quaestoribus creandis antiquissima et paene ante omnes magistratus. Gracchanus denique Iunius libro septimo de potestatibus etiam ipsum Romulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse quos ipsi non sua uoce sed populi suffragio crearent refert. - - - §. 1. et a genere quaerendi quaestores initio dictos et Iunius et Trebatius et Fenestella scribunt.

---

(77) cf. quoque Benfeium in Iahnii n. ann. phil. et paed. VI. 3. 1832. p. 300 sq. (quem l. inueni a C. G. Iacobo, Kritzii censore, in act. antiqq. Darmstad. 1835. n. 69. p. 557.). at is sententiam suam exposuit quidem, sed non probauit.

1) Io. Laur. Lydus de magg. p. R. l. I. c. 24. p. 44. Fuss. p. 139. Bekker.

Τὸ πιϛὸν τοῖς γράφουσιν ἡ τῶν ἀρχαίων ἐπιτίθησι μαρτυρία. Ἰούνιος τοίνυν Γρακχιανὸς ἐν τῷ περὶ ἐξουσιῶν αὐτοῖς ῥήμασι περὶ τοῦ καλουμένου παρὰ Ῥωμαίοις κυαίϛωρος ʻπροεχειρίζοντο ψήφῳ τοῦ δήμου. Τοῦλος δὲ ὁ ῥὴξ μετὰ τούτους ἀναγκαίαν εἶναι τὴν τῶν κυαιϛώρων ἀρχὴν ἔκρινεν ὡς τοὺς πλείους τῶν ἱϛορικῶν αὐτῷ τὴν τοιαύτην προαγωγὴν ἀναγράψαι· καὶ μόνῳ. ἀπὸ δὲ τῆς ζητήσεως οὕτως ὀνομασθῆναι αὐτοὺς Ἰούνιος καὶ Τρεβάτιος καὶ Φενεϛέλα εἶπον'. καὶ μεθ' ἕτερα ʻπλὴν ὕϛερον ἐξῃρέθησαν οἱ κανδιδάτοι τοῦ βασιλέως κυαίϛωρες οἳ πρὸς ἀνάγνωσιν τῶν βασιλικῶν γραμμάτων καὶ μόνην ἐσχόλαζον· οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ψήφους ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς βουλῆς ἀνεγίνωσκον ὑπὲρ τῶν εἰς ἀξιώματα προαγομένων'. ταῦτα μὲν ὁ Ἰούνιος, ὁ νομικὸς δὲ Οὐλπιανὸς ἐν τῷ de officio quaestoris (ἀντὶ τοῦ περὶ κυαίϛωρος) ἀποχρώντως διαλέγεται.

Iam toto Vlpiani fragmento quod hic describere longum est inspecto ipse comprobabis, quae supra p. 89. proposuimus, nempe Lydum Vlpianum negligenter inspiciendo et exscribendo Gracchano et aliorum de primis quaestoribus obtrusisse sententiam et rerum expositionem tribuisse, quae temporis ratione habita in eum nullo modo cadere possent. quod ad ipsam Iunii sententiam de primis attinet quaestoribus iam a Romulo Numaque creatis communi sane ceterorum scriptorum opinioni uidetur obstare, id quod magis etiam in eius de modo electionis cadit narrationem. quae etsi Niebuhrii t. I. p. 550. tulit assensum, merito tamen impugnari uidetur a Rubinone l. l. p. 317 sqq., qui ingeniosissime ex politicis eius rationibus, plebi iura historiae quoque ope uindicaturis, eam explicat cf. p. 324. n. 1. aliam omnino sententiam inesse his uerbis statuit Goettlingius l. l. p. 320. n. 3.,

male dicens προεχωρήσαντο (ea enim est ug. lectio, pro qua προεχειρίζοντο optime scripsit Bekkerus u. ill.) ψήφῳ τοῦ δήμου uerti 'creabantur populi suffragio', legendum enim esse προεχώρησαν τῇ ψήφῳ τοῦ δήμου ut de praeiudicio eorum sermo esset: at oblitus est u. dss. loci huius fragmenti natalis, qui fons demum Lydo fuit, cum Vlpianus ipsis uerbis tanquam Iunii sententiam narret, primos reges quaestores non sua uoce, sed populi suffragio creasse. eundem Vlpiani locum, quod Fenestellae in eo fieret mentio, in Pseudo-Fenestellae de magistratibus sacerdotiisque Romanorum libros duos ([78]) esse illatum tanquam ex 'Gratiani de temporibus' libro docuit me Carrio (emendatt. I. 19.): in ea quam equidem inspexi editione (ap. Iac. Chouet a. 1599. p. 46. et 47.) 'Gracchanus' nomen scriptum inueni.

II. Commentarii.

M. Iunio, quem nostrum esse demonstrare mox conabimur, commentarii adscribuntur apud Varronem de l. l. VI. §. 95. p. 274. Sp., quem locum, Spengelii et Mülleri opera nondum emendatum, nunc persanauit Lachmannus. cuius uiri summi emendationem ut hic proponere liceat suauissimae eius debeo humanitati, qua quantum me consilio et ope adiuuerit, dicere equidem uix possum. est autem locus hic:

2. Consul auguri imperare solet ut is inlicium uocet, non accenso aut praeconi. id inceptum credo, cum non ad-

([78]) Hoc opus compositum est saeculi fere decimi quarti initio ab Andrea Dominico Flocco Florentino, Emanuelis Chrysolorae discipulo, secretario Pontificis Romani et Canonico Florentino cf. Vossium de historicis Latinis l. I. cap. XIX. (p. 101. ed. alt. Lugd. Bat. 1651.) et l. III. cap. VII. (p. 581. ibid.). breuem de eo notitiam inuenies quoque in nouissimis de Romanarum litterarum historia operibus Bernhardii p. 260. n. 489. et Baehrii p. 412. coll. ann. 2. p. 413.

esset accensus et nihil intererat quoi imperaret: et dicis causa fiebant quaedam, neque item facta neque item dicta semper. hoc ipsum inligium scriptum inueni in M. Iunii commentariis, quod tamen idem est. quod illicit est illex, quia I cum E et C cum G magnam habent communitatem.

De codd. h. l. scriptura cf. annotationem Spengelii. quod ad ipsum auctorem attinet saepe apud Varronem laudatur Iunius nec praenomine, nec operis titulo indicato: eum uero Gracchanum esse patet ex Censorino, qui c. 22. Iunio ei quem Gracchanum nominat c. 20. eandem plane de mense Aprili tribuit sententiam, quam Iunio l. VI. §. 33. p. 213. Sp. assignat Varro ([79]), uterque addito nomine Fuluii tanquam eius opinionis socii, id quod sententiam nostram magis adhuc firmat.

Num tamen eiusdem locus sit, quem hic descripsimus, dubitare uidetur u. clarissimus Od. Müller, qui in ann. ad l. VI. §. 33. dum cetera Iunii nomine ap. Varr. laudata Iunio Gracchano assignat et hunc l. et V. 42. omittit: at hunc quidem casu, ut ex ann. ad eum l. patet, illum uero consilio, cum in indice quoque scriptorum M. Iunius a Iunio sit separatus. iam de Iunio aliquo Bruto uideatur cogitandum esse, ex quibus apud Varronem et temporis ratione et eius aequa-

---

([79]) Ansam hoc dederit glossemati 'Gracchus' Iunii nomini in codd. Varronis interpolatis hoc ipso loco haud indocte sane addito teste Spengelio (praef. p. L.), unde perperam nostrum Iunium Gracchum appellarunt: cui errori Hasium quoque u. dss. in praef. ad Laur. Lydum de ostentis p. XXI. obnoxium fuisse miror. idem nomen Iunii Gracchi a nonnullis sine iusta causa tribuitur Graccho, poetae tragico aeui Augustei cf. Weichertum de L. Vario et Cassio Parmensi p. 170.

les non laudandi consuetudine respecta nullius sane, quantum equidem sciam, ratio haberi potuerit, nisi M. Iunii Bruti, accusatoris patris, ICti: atque is, ne urgeam uix ita M. Iunium sed potius uel M. Brutum uel pleno nomine laudatum eum iri apud Varronem, de iure quidem ciuili scripsit, commentariorum non memini. M. Iunii Bruti τοῦ πατροκτόνου commentarii, si extitissent, uix a Varrone laudati inuenirentur, etiamsi ante libros de l. l. compositos, quod uix credibile esset, eos conscriptos esse in animum tibi uelles inducere: sed excogitauit eos Schlosserus (cf. Wiese comm. de uitarum scriptoribus Romanis Berol. 1840. 4. p. 16.), ni fortasse ex nostro loco eos desumere posse sibi uisus sit. nobis et Varronis usui nostra magis sententia uidetur conuenire, et ipsis ceteris fragmentis sub nomine Iunii apud eum seruatis, quae de uariis antiquitatis Romanae partibus agentia sub commentariorum titulo optime possunt conciliari, qua in re assentientes habemus Dirksenium et Krausium in ICtorum et historicorum Romanorum fragmentis, Orellium in onomastico Tulliano t. II. p. 324., Merkelium, comem libelli nostri nuncium, p. LXXV. l. c.: his ipsis igitur commentariis, quamuis certis testimoniis haud nisi, assignamus fragmenta apud Varronem seruata haec, quae ob dubium hunc locum asterisco notare maluimus.

3*. Varro de l. l. V. §. 42. p. 48. Sp.

Inter tria uestigia oppidi antiqui Saturniae, quorum primum est quod Saturni fanum in faucibus, altero loco ponit 'quod Saturnia porta, quam Iunius scribit ibi, quam nunc uocant Pandanam'.

De Saturnia antiquo Italiae et oppidi nomine locos congessit Hartungius de rel. R. t. II. p. 124. coll. Müllero ad Fest.

s. u. Saturnia p. 322.; de ipsa porta Saturnia praeter Solin. I. 13. (Klausen l. l. p. 862. n. 1648.) u. Sachsium Geschichte und Beschreibung der alten Stadt Rom t. I. p. 61. cf. p. 32 sq. p. 58.

4*. Ibidem l. V. §. 48. p. 53.

Subura Iunius scribit ab eo quod fuerit sub antiqua urbe.

Varro quamuis huic opinioni testimonium esse posse ait, quod subsit ei loco qui Terreus murus uocetur, a pago potius Succusano dictam putat ob notam Suc. cf. Verrium ap. Fest. p. 309. M. s. u. Suburam coll. p. 302. s. u. Suburanam et Quint. I. O. I. 7. 29. (Schneider Elementarlehre I. p. 230.). Varroni astipulatur Niebuhrius h. R. I. p. 303., Iunio Huschkius l. l. p. 57 sq. n. 8*.

5*. Ibidem l. V. §. 55. p. 61. Sp.

(tribus) nominatae ut ait Ennius Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres ut Iunius a Lucumone.

De Lucerum nomine cf. qui copiosissime ea de re egit Huschkium l. l. p. 31 sqq. de Ramnensibus autem et Titiensibus cum traditum non sit quid senserit Iunius, Goettlingius eum non debebat proferre tanquam Ennianae opinionis socium l. l. p. 54.: idem p. 55 sq. Iunii quam sequuntur Cicero et Propertius (80), quamque inter ceteras laudat quoque Ps.-Asc. in Verr. II. t. v. p. 2. p. 159. Or., accedit opinioni.

(80) Cuius testimonio nimium pondus tribuere u. dss. quod Tuscae eum credat esse originis monuit W. Hertzberg in censura libri Goettlingiani, annal. Halens. 1841. N. 145. p. 578. Asisinatem fuisse coll. Prop. IV. 1. 125. nuper indicauit Lachmannus in Zeitschr. für gesch. Rechtswissenschaft XI. 1. 1842. p. 117., unde uulgg. de loco eius natali opiniones concidunt, quas laudatas inuenies a Paldamo in libello de poesi Romanorum erotica Gryphisv. 1833. 8. p. 59.

Iam duo ab eodem Varrone fragmenta seruata sunt, mensium nominibus indagandis occupata: at cum ad eandem rem, ad intercalationem adque totius anni historiam pertineant ea, quae ex Macrobio et Censorino iam prolaturi sumus fragmenta Iuniana, dubites sane cum Merkelio p. LXXV. 'utrum de ea re data opera singulari libro exposuerit an in commentariorum libris': si singularis liber fuit fastorum ei fuisse inscriptionem uidetur probabile. nos fragmenta huc pertinentia ita ordinauimus, ut aliquomodo inter se cohaererent, singula cum uel notissima sint uel cum de Cincio loqueremur explicata annotatione haud egere rati.

6. Censorinus de die nat. c. 20.

Annum uertentem Romae Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt. sed magis Iunio Gracchano et Fuluio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putauerunt fuisse, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani.

7. Ibidem c. 22.

Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse Fuluius et Iunius auctores sunt: et quidem duos primos a parentibus suis nominasse Martium a Marte patre, Aprilem ab Aphrodite id est Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur: proximos duos a populo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus; ceteros ab ordine quo singuli erant Quintilem usque ad Decembrem perinde a numero.

8. Varro de l. l. VI. §. 33. 34. p. 213 sq. Sp.

Mensium nomina sunt aperta fere ([81]), si a Martio ut antiqui

([81]) sunt aperta fere: sic ex Florent. Spengelius, quod Müllerus Parisiensi primo obtemperans mutauit in 'fere aperta sunt', dum alii codd. aliter uerba haec collocant.

constituerunt numeres. nam primus a Marte. secundus ut Fuluius scribit et Iunius a Venere quod ea sit 'Αφροδίτη. quoius nomen ego antiquis literis quod nusquam inueni, magis puto dictum quod uer omnia aperit Aprilem. tertius a maioribus Maius, a iunioribus dictus Iunius. dehinc quintus Quintilis et sic deinceps usque ad Decembrem a numero ([82]).

9. Censorinus de die nat. c. 20.

Postea siue a Numa, ut ait Fuluius, siue ut Iunius a Tarquinio duodecim facti sunt menses et dies CCCLV, quamuis luna duodecim suis mensibus CCCLIIII dies uideatur explere.

10. Varro l. l. VI. 34. p. 214. Sp.

Ad hos [decem menses sc.] qui additi prior a principe deo Ianuario appellatus; posterior ut idem dicunt scriptores ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur.

11. Macrob. Sat. I. 13.

Iunius Seruium Tullium regem primum intercalasse commemorat ([83]).

([82]) Equidem totum hunc locum hic transscripsi, quamuis apud Aprilem tantum disertis uerbis Iunium laudatum inueniamus, quod Censorino collato apparet, omnia haec ad eum Fuluiumque pertinere: eorum de Aprili explicationem a Cincio uituperatam esse supra iam uidimus apud Macrob. Sat. I. 12., ubi cum fusius Fuluii de Maii et Iunii nominibus tradatur sententia ea ad Iunium quoque, qui in his rebus Fuluio duce usus uidetur quodammodo pertineat. Varronis locum dissecuimus alteram eius partem post sq. demum l. Censorinianum quem et ipsum eandem ob causam a fragm. 6. separauimus ponentes, ut Iuniani libri quem nobis concinnauimus ordinem historicum seruaremus: quae de Februario ille protulit ad Fuluium et Iunium pertinere cum legamus 'ut idem dicunt scriptores' negare non possumus, de Ianuario quoque uix dubites.

([83]) Cum pergat h. l. Macr. 'a quo et nundinas institutas Var-

Haec igitur est anni historia quoad nobis licuit ex Iunii sententia composita. de nonnullis certe singularem ibi eum opinionem uidemus proferre, de Seruii imprimis intercalatione deque tempore quo duodecim menses sint instituti, qua de re Fuluii sententia apud posteros quod sciam omnes locum obtinuit (u. ut nonnullos tantum laudem Liu. I. 19. Plut. Numa 18. Macr. Sat. I. 13. Laur. Lyd. de menss. I. 16. III. 4. IV. 1.) ([84]). at eundem Fuluium et quod ad annum priscum decimestrem pertinet et quod ad mensium imprimis nomina presse secutus est, ut illius humeris Iunium saepissime inniti iure tuo censeas. quam ob rem Iunii fortasse fragmentis addendum est, quod nomine certo carens Coelio Antipatro uu. dd. assignarunt, seruatum

[12.?] ap. Charis. inst. gr. I. xxi. 159. p. 79. Lind. p. 112. P. Nobiliore. comparatiua Plinius e putat ablatiuo finiri .... tamen ait per i: locatos ([85]) quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliori scriptos rettulisse.

Nomen 'Caelii' quod addidere Fabr. et P. uncis inclusit Lindem. in cod. oblitteratum est diuque oblitteratum fuisse uidetur, cum iam in ed. pr. sit lacuna, quam pro arbitrio suo explesse censeo Fabricium. at inter tot Coelii

---

roni placet' coniecturam Huschkii l. l. p. 331., Iunianam de intercalatione sententiam Varronem quoque secutum esse haud equidem improbauerim.

([84]) At ipse Iunius, ut ex ingeniosa Niebuhrii computatione ad Cincianam de urbis Romae anno natali sententiam explicandam instituta apparet (t. I. p. 300.) non proprio haec Marte proposuerat, sed antiquum aliquem fontem secutus.

([85]) Locutos e cod. Lind. at equidem cum ed. principe lego locatos, dum ug. l. est publicatos; in sqq. scripta edidit Lind. e cod. at equidem cum Merkelio et Krausio Vossium de hist. Lat. I. v. extr. secutus legendum censeo scriptos.

fragmenta studii chronologici nullum ego reperio uestigium, optime tamen haec uerba, quae ex usu sermonis Latini uix de alia re interpretari licere ac de homine aliquo in re controuersa publice ad Fuluii scripta prouocante praeclare monet Merkelius ille noster p. LXXV., Iunio Gracchano conueniunt, cuius nomen melius arbitror quam Coelii in loco Charisiano se habebit.

Ad eundem uero iure meo referre mihi uideor locum aliquem Festianum, qui in fragmentorum collectionibus locum nondum inuenit, quemque hic cum iis, quas sine annotatione pro certis recipiendas duco uu. dd. conii. transscribo.

13. Festus s. u. publica pondera p. 213. L. p. 246. M.

Publica pondera [ad legitimam normam exacta fuisse] ex ea causa Iunius in [. . . . . colligi]t quod duo Silii [Silli cod.] P. et M. Trib. pleb. rogarint his uerbis: 'ex ponderibus publicis quibus hac tempestate populus oetier solet, uti [quodque?] coaequetur se dolo m., uti quadrantal uini octaginta pondo siet, congius uini decem pondo siet, sex sextari congius siet uini, duodequinquaginta sextari quadrantal siet uini, sextarius aequus aequo cum librario siet: sexdecimque librari in modio sient. siquis magistratus aduersus hac d. m. pondera modiosque uasaque publica modica, minora, maioraue faxit iussitue fieri dolumue adduit quo ea fiant, eum quis uolet magistratus multare dum minore parti familias taxat liceto; siue quis im sacrum iudicare uoluerit, liceto.'

Qui locus cum, si ad alterutrum eorum quos cognouimus librorum Iunianorum pertinet, libris commentariorum magis respondere uideatur quam de potestatibus libris, cum for-

tuito tantum plebisscitum aliquod commemoret, ubi nunc lacunae signum est, equidem scripserim: 'commentariis' siue quum id spatium non satis expleat, 'libris commentariorum' siue 'libro commentariorum', fortasse numero aliquo, si plures erant, addito. — 'uti] nisi aliud latet mendum uidetur excidisse quodque' M. uncis inclusum addidimus. — se dolo m. ex ingeniosa Scaligeri coni. scripsi Boeckhio quoque, uiro summo, qui de hoc plebisscito disputat in libro laude mea maiore metrologische Untersuchungen (Berol. 1838. 8.) p. 17. 25. 206 sq. 290 sq., probata; sedulum e cod. Müllerus: at sqq. 'd. m.' Scaligerianam l. uidentur flagitare. — sex sextari congius siet in: cod., uini ug., om. Boeckhius, qui post quadrantal quoque 'uini' deleuit. in sqq. Müllerum secutus sum, qui cf.

Magis num ad commentarios an ad libros de potestatibus pertineat fragmentum apud Plinium N. H. XXXIII. 9. supra iam l., mihi dubium esset, ni omnino, cum ignoremus num alios libros composuerit Iunius necne, inutilem hanc quaestionem haberem: de potestatibus libris assignatum est apud Harduinum. uerbis autem conceptum est hisce:

14. Plin. N. H. XXXIII. II. 9.

Equitum quidem etiam nomen ipsum saepe uariatum est in his quoque qui ad equitatum trahebantur. celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines, postea trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum IX. M. sine ullo peditum adiumento cepissent eius uocabuli, idque durauit ultro C. Gracchum. Iunius certe qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est scriptum reliquit his uerbis: 'quod ad equestrem ordinem attinet antea trossulos uocabant nunc equites uocant: ideoque quia non intelligunt trossulos

nomen quid ualeat multos pudet eo nomine appellari': et causam quae supra indicata est exponit inuitosque etiamnum trossulos uocari.

'multos pudet trossulos uocari' ug. h. l. erat lectio, donec quae nos exhibuimus e cod. Bamb. et edd. uett. adderet denuo Silligius l. Ianio lectt. Plin. II. 9. (cf. eundem in Plinii Silligiani t. V. p. 368.). praeter Creuzeri locum compend. antiqq. R. p. 124., laud. a Meyero fr. orr. p. 115. et Fussium ant. R. ed. III. §. 364. p. 359 sq., recentiorem de trossulis disputationem inuenio apud Marquardtium hist. eqq. Rom. libri IV. (Berol. 1840. 4.) p. 62. n. 43. ubi ueterum locos, e quibus P. Diac. et scholiasta Persii cum nostro consentiunt, et recentiorum de nominis significatione opiniones inuenies laudatas, quibus adde ingeniosam certe ac plane noua proferentem Klausenii disputationem l. l. p. 822 sq. et Puchtam instit. I. p. 135 sq. n. f., qui subsidia eos fuisse credit, dum leuem equitatum eos censet fuisse quasi delicatiores (is enim postea nomini usus fuit) Huschkius de Seru. Tull. p. 486. 705., Etruscam tantum uocem, quae equites significet, credit Goettlingius l. l. p. 372. n. 7. uetus hoc nomen media fere principatus R. aetate quasi resurrexisse docuit me Zumptius u. ill. in comm. über die Röm. Ritter und den Ritterstand in Rom etc. (Berol. 1840. 4.) p. 40. n. 2.

Ad librum denique de potestatibus pertinere uideatur locus Gellianus XIV. 8., ubi ex edd. uett. lectione Mutius (fortasse ex praenomine M. adiecto orta) secundum codd. mss., quibus Guelferbytanum quoque accedere monet Lion, Iunii nomen restituendum esse docet Carrio emendatt. I. 19., et ipse libris de potestatibus hunc locum assignans, quem iam affero:

15. A. Gellius noct. Att. XIV. 8.
Praefectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius negat. quoniam ne senator quidem sit, neque ius habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria. [traditur in sqq. contrariam opinionem sustinuisse Varronem, Ateium Capitonem, Tuberonem.]

Quem ita in disciplinis antiquitatis R. uidimus uersatissimum, eum oratorem quoque fuisse, quod ex loco Pliniano perperam collegisse u. dss. Ellendtium supra uidimus, Passeratius etiam contendit referente Ernestio (in onomast. Tulliano Orell. II. p. 316.), eum nimirum M. Iunium, qui in aliis quoque causis exercitatus P. Quintii causam ante Ciceronem aliquoties apud Aquillium egerat, pro Gracchano habens: sed hanc rem cum sit incertissima annotare quidem uolui, iudicium de ea ferre nequeo.

Ipsa uero quae protuli fragmenta sane Ciceronianae laudi uides conuenire cum uarias antiquitatis partes, instituta publica, magistratuum iura, fastos, topographiam aequo studio complexa auctoris prodant diligentiam, qui ad nouam ipsarum rerum indagationem intentus, nouandi haud ita fuerit cupidus, ut optimos auctores duces sibi eligere neglexerit, semper tamen in earum quoque rerum, ubi alios sequeretur, singulis partibus, quas examine instituto aliter se habere sibi persuasisset, suam interponens sententiam ab illorum discedentem, sicuti Fuluii exemplo supra uidere nobis licuit. paullo seuerius de eo iudicium exercuit Rubino l. l. p. 319 sq. n. 2. et 3.: at quod Cicero addit laudi suae, 'perite et diligenter' Iunium scripsisse, 'meo quidem iudicio', id magis modestiae alicui ac comitati ergo ceteros, quorum ea de re iudicio nul-

lam normam sua sententia interposita daturum se esse hoc modo profiteatur, tribuerim quam inde collegerim cum Rubinone, non ab omnibus hanc ei laudem concessam esse: etiamsi enim fatear saepius ceteros scriptores eius sententiam non probare atque aliquam eius opinionem uel imperite dictam nominet Cincius, aliis locis ceteri quoque cum eo consentiunt, ueluti Trebatius et Fenestella de quaestorum nomine, ueluti eius de Subura sententia a Varrone ipso, quamuis non assentiente, argumento aliquo adiuuatur, quaeque de Luceribus et apud Plinium de trossulis proposuit a grammaticis tanquam usitata citantur; in iis porro quae de mensibus proposuit semper nomen eius ita cum Fuluio coniungitur, ut uel post hunc, sicuti iam annotauimus, hac de re ita meritus esse uideatur, ut nomen eius haud reticendum censerent; de intercalatione tot erant uariae sententiae, ut singularem a Iunio propositam esse, cum suam ceteri quoque pro se quisque proferrent (cf. Macrob. l. l.), non est quod miremur: quae de duodecim denique anni mensibus a Tarquinio institutis ille commemorat, ea cum Cincianae aerae conuenire Niebuhrium demonstrasse iam monuerim, uix artem criticam a Iunio neglectam esse demonstrent, qua semper eum usum esse, equidem affirmauerim, suam proprio Marte uiam ingredientem ac diligentia et accurata studia instituentem, ita ut etiamsi non semper uerum inuenerit probo tamen studio, alienis auctoritatibus haud nimis confidentem, uerum quaesiuisse eum censeam. singularem enim de aliquo antiquitatis argumento eamque semper fere ut uidetur accurata ipsius rei indagatione nisam sententiam omnia fere eius proferunt fragmenta: quomodo enim is, qui populum suum ad libertatem studebat euehere — id quod summum mihi uidetur uitae hu-

manae propositum—in litteris indagationis libertatem ipsi sibi eripi passus sit? idem enim ille ueri, pulchri, boni ardor, qui ad rempublicam ex humilitate qualicunque extollendam instigat, ad ipsum quoque litterarum studium nullius auctoritati sed soli ueritati ad lucem proferendae inseruiens nos excitat. quam ob rem candido quoque Niebuhrio animo Iunius Gracchanus prae ceteris uidebatur laudandus (hist. R. t. I. p. 300.), ut principem fere inter indagatores antiquitatis Romanae locum ei assignaret (assentiente quoque Goettlingio l. l. p. 54.).

Quam ob rem aerae a regibus exactis annos numerantis qua saepius Ciceronem, Tacitum, Lydum, et hunc quidem Gaio ut uult Niebuhrius auctore, usos ibi imprimis uidemus, ubi de statu aliquo reipublicae mutato loquuntur (u. imprimis Lyd. de magg. I. 38., ubi animaduertendum, semel Olympiadis annum ipsi huic rationi addi), Iunium Gracchanum esse auctorem, ex quo scriptores illi quasi ex communi fonte hauserint, sibi persuasit Niebuhrius I. p. 277.: Gaium Gracchani imprimis uestigia legisse idem contendit II. 12., ubi Gracchanum historiam reipublicae et potestatum inde a consulatu instituto dicit scripsisse, quae aerae Capitolinae exhibens annos nouorum magistratuum institutionem, ueterum condiciones mutatas enarrarit: multa inde, cum ex Gaio et Lydus et Pomponius hauserint, ita tamen ut ille auctorem suum nominarit, hic improbe eum celarit, nobis seruata esse, cum Gaius commentario suo XII tabb. historiam magistratuum Romanorum praeposuerit ([86]). apud Liuium quoque et Dionysium, qui ipso quidem Gracchano usi non sint, nonnulla a Gracchano, quorsum eum in consilium uocarit Licinius Ma-

---

([86]) Cf. I. 646. II. 136. 207. III. 50. hist. R. ed. nouiss.

cer, a quo scriptores illi sua nonnunquam deprompserint, originem suam repetere (cf. II. 206 - 208., ubi Gracchanum quidem nominatim non laudat, certissime tamen significat Niebuhrius): eodem Dionem quoque Cassium Fabii maxime auctoritatem sequentem usum esse ([87]), quippe qui maximam institutis publicis operam nauaret. ad eundem quoque nonnulla ad praefecturae urbis antiquitates spectantia refert t. II. p. 218.

At haec solidiore aliquo fundamento niti negandum est: etiamsi enim hic quoque summam uiri immortalis artem agnoscimus, qui separata ingenii acumine coniungere et quaecunque suo loco ponere, ut singula et lucem afferrent ceteris et ab iis acciperent, sicuti nemo sane sciebat, tamen non possumus, quin uerum hoc loco eum inuenisse nobis non uideri fateamur.

Nam Lydus Gaii opere, quod bis laudat (I. 26. et 34. de magg.) usus non est, sed Iustinianea tantum compilatione, id quod acutissime euicit Dirksenius, postquam ea de re iam locutus esset in fragmm. ICtor. R. p. 109 sq. inque fragmm. XII tabb. p. 654., in elegantissima commentatione de Lydi fide supra laudata ([88]), ubi itidem probauit a Pomponio improbitatis uituperationem esse amouendam, cum Lydi potius negligentia, quae Pomponii essent, Gaio tribuerentur, inscriptionibus tit. 1. et tit. 2. lib. I. Digestorum, quorum ille Gaio, Pomponio hic originem deberet, permu-

---

([87]) Assentitur Niebuhrio Wilmans de fontibus Dionis Cassii (Berol. 1835. 8.) p. 3., de Fabio quidem fusius in sqq. disputans, de Iunio uero Gracchano calculum tantum adiiciens.

([88]) Merito assensu suo Dirksenii sententiam comprobauit censor eius Ed. Zachariae: ann. litt. Heidelb. 1842. n. 6. p. 81.

tatis ([89]). iam cum inde quae de Gaiano opere disputata sunt a Niebuhrio concidunt, uix de Iunii Gracchani, quem ne Gaii quidem fontem fuisse certis argumentis demonstratum erat, apud Lydum et Pomponium uestigiis anquirendis aliquis cogitet, ita ut aerae quoque istius ad eum reducendae conatus uix probabili aliquo argumento possit fulciri: iam igitur cum ne apud Dionysium, Dionem, Liuium certa aliqua causa appareat, cur ex Iunio demum quae argumentis ab illo quondam tractatis quodammodo similia illi proferant ducta esse oporteat, traditionis riuum tam late fluentem ab eo per sequentium auctorum campos sese effudisse equidem certe agnoscere nequeo.

Hac igitur de re ignorantiam nostram fatemur, auctoritate uiri illius summi ad coniecturas minus probabiles nos abripi non passi, quamuis dolentes fere, lucidam istam quam uiuidis coloribus ille depinxit imaginem nobis delendam fuisse ac nihil nobis remansisse nisi hominem antiquitatis sane studiosum, cuius tamen certa uestigia per parca fragmenta sequi uix possimus, ubi ille, in ipsis scriptoribus nobis seruatis uenas quasi eius deprehendere sibi uisus, laetam adhuc uitam conspexerit.

([89]) Aliorum, Schraderi prae ceteris, sententias ex eadem Dirksenii commentatione cognosces et irritas esse intelliges; quibus nunc addere potes Puchtam in libro bonae frugis plenissimo institutionum t. I. p. 484 sq. n. 9., a Zachariae quoque l.

INDEX AVCTORVM LOCORVMQVE.

Cincii Alimenti fragmenta C. A. notata, Cincii iunioris C., Iunii I.

ARGVMENTVM.

---

p. 7, 22 lege quidam — 9, 25 offerret — 14, 6 I. — 18, 9 εἰςέρχεται — 20, 3 quidam — 25, 10 ἀκρίβειαν — 29, 26 queritur — 33, 15 uidebimus — 36, 20 spectamus — 37, 5 B 2 — 37, 21 profertur a — 38, 6 uel Cicio — 54, 9 consueuit — 57, 28 Gorgia — 60, 7 eadem — 61, 12 ieiunam — 69, 4 hos — 70, 14 afferam — 73, 12 opinionem — 76, 4 quod —

Bei **E. H. Schroeder** in Berlin, unter den Linden Nr. **23** im Jagor'schen Hause, ist erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

Ueber die
Antigone des Sophokles
und ihre Darstellung auf dem Königl. Schloß-Theater im neuen Palais bei Sanfouci.
Drei Abhandlungen von
A. Böckh. E. H. Toelken. Fr. Förster.
1842. 8. geheftet. Preis 15 Sgr.

Die Vertheilung der Rollen
unter die Schauspieler der griechischen Tragödie.
Von ***Dr.* Julius Richter.**
1842. gr. 8. geheftet. Preis 15 Sgr.

Zwei Gespräche über das Werk:
Preußen,
seine Verfassung, seine Verwaltung, sein Verhältniß zu Deutschland,
von **Bülow-Cummerow.**
1842. gr. 8. geh. Preis 5 Sgr.

Resultate
der im Jahre 1841 in den sieben Provinzen:
Brandenburg, Pommern, Posen, Preussen, Sachsen, Schlesien und *Westphalen*
abgehaltenen
Provinzial-Landtage.
Mit einem Sachregister.
1841. gr. 8. geheftet. Preis 1 Rthlr.
(Fortsetzung und Schluß „der Rheinische Provinzial-Landtag" ist unter der Presse.)

Die Pensionirung der Geistlichen
mit Bezug auf die „Proposition von Oesterreich."
Von **Struensee,** evangel. Pfarrer.
1842. gr. 8. geheftet. Preis 5 Sgr.

Die Kaltwasserkuren.
in ihrem Einflusse
auf die verschiedenen Formen der Unterleibskrankheiten.
Von **Dr. *Moritz Strahl,***
practischem Arzt und Accoucheur in Berlin.
1842. 8. geheftet. Preis 25 Sgr.

Compendium
der
ANATOMIE DES MENSCHEN.
Mit 150 in den Text eingedruckten Abbildungen.
Von **Erasmus Wilson.**
Bearbeitet und herausgegeben
von **Dr. *L. Hollstein.***
1842. In 7 Lieferungen. 8. geh. à Lieferung 15 Sgr.

Biographien Geisteskranker
in ihrer psychologischen Entwickelung
dargestellt
von ***Dr.* K. W. Ideler,**
Prof. d. Med. u. Lehrer d. psychiatrischen Klinik a. d. Universität in Berlin, dirigirendem Arzte der Irren-Abtheilung in der Charité etc.
Mit Abbildungen. 1842. gr. 8. geh. Preis 2 Rthlr.

Der Fremde
in Berlin und Potsdam.
Neuester und zuverläßigster Wegweiser beim Besuche dieser Hauptstädte und ihrer Umgebungen, eine genaue Beschreibung aller Sehenswürdigkeiten und Einrichtungen enthaltend, mit Angabe von Ort und Zeit der Besichtigung.
Von **J. Löwenberg.**
1841. 8. geheftet.
Preis mit den Plänen von Berlin und Potsdam 15 Sgr.
Preis ohne Pläne » » » » 10 Sgr.

PLAN VON BERLIN.
Mit Randansichten und alphabetischem Verzeichnifs der wichtigsten Strafsen, Plätze, Gebäude etc.
Entw. u. in Stein gravirt von ***H. Delius.***
1842. Royal. Preis schwarz 20 Sgr., colorirt 25 Sgr.

PLAN VON BERLIN.
1842. Quer-Folio.
Preis schwarz 5 Sgr., colorirt 10 Sgr.

Ansichten
von Berlin und der Umgegend.
Nach der Natur auf Stein gezeichnet
von ***Lütke.***
Preis à Blatt 7½ Sgr., colorirt 15 Sgr., besonders sauber colorirt 20 Sgr.

Ansichten
von Potsdam und der Umgegend.
Nach der Natur auf Stein gezeichnet
von ***Lütke.***
Preis à Blatt 10 Sgr., colorirt 20 Sgr., besonders sauber colorirt 1 Rthlr.

Ansichten
von Dresden und der Umgegend.
Nach der Natur auf Stein gezeichnet
von ***Lütke.***
Preis à Blatt 7½ Sgr., colorirt 20 Sgr., besonders sauber colorirt 25 Sgr.

Die Slawen
in den ältesten Zeiten bis Samo (623).
Eine linguistisch-geographisch-historische Untersuchung,
nebst einem Anhange:
gedrängte Uebersicht der heutigen Slawen.
Von **Roman St. Kaulfuß.**
1842. gr. 8. geheftet. Preis 15 Sgr.

Baptismatis expositio biblica,
historica, dogmatica. (Commentatio a theologorum ordine Berolinensi S. V. ornata praemio aucta nunc novisque curis recognita.)
Scripsit ***Conr. Steph. Mathies.***
Editio nova. 1840. geb. Preis 1 Rthlr.




LIBRARY OF CONGRESS
0 003 087 140 6